EXCVRSVS ALTER

EPIGRAPHICVS LIBER

COMMENTARIVM XIII.

RAYMVNDI GVARINII.



NEAPOLI

TYPIS SOCIETATIS PHILOMATHICAE.

1831.

Abstineas facilius, quam tibi temperes.



COMMENT. XIII.

Ecce in scenam iterum *Divini* personam deridiculam serio acturi. Atqui adversa quam dudum reluctatur valetudo. At enim ad spectandum provocant monumenta alia, partim Etrusca, partim Osca, partim Graeca, aut Romana, vel forte fortuna oblata, vel curiose etiam conquisita. Vetus enim malum est, de quo vel Medici severiores desperent. Verum de hoc, quidquid Superis placitum. Quo in his pertractandis ordine utemur? Quippe, quem casus dederit, quandoquidem nullum rationi, consilioque certum locum videmus.

§. I.

Titulus Etruscus expenditur a Lanzio illustratus. Sic ille se habet.

MIᑫ ƎV8 : Ǝ> ·ϘVΓIИ>ƎV .ƎϽᑫAV
IOI ƎVИAᒍϘVΘV

Lateri dextro adscriptus imagunculae Deam referentis, quae in Regio Florentino Museo adservatur. Crines concinne dispositi: vestis fere

in omnibus, qualis mulierum Domus Augustae (1). *Paterae* typus.

Prolixa in titulum hunc, nec semel, aut uno tantum loco, Lanzii (2) oratio, quem in talibus quis laudet pro merito? Summa huc redit, ut titulo hanc subesse sententiam, putet:

Larcius. Licinius. D. D. *pro. salute* (vel *sospitatrici*) *Larthiae Noviciae.*

Suboluit (fatendum est enim) in finem viro summo *Iuno Lanuvina*: verum de hac trepidanter adeo, ut priorem explicationem, prae posteriori hac, *magis obviam* duxerit. Quae omnia, nisi fallor, salivam cient, famem minime explent. Res igitur omnis altius repetenda.

1. De *Larcio Licinio*, plenissime Lanzio assentior, nisi cui forte, prae *Licinio*, *Laécanus* magis adriserit, quod minus a litera recedit; uti et de voce *turuce*, quam praeteriti temporis verbum ponit; quasi δεδώρηκε *dedit.* Tantum desinentiam in VR notari velim ad vocem *Leciniur*, qui casus rectus, ut Latinorum *satur.*

2. De voce MƎQƎV8 *phleres*, quam *sacrum*,

---

(1) Vid. Dempster. Tom. II. Tab. 93. et Passer. Paral. Roncagl. XI.

(2) Vol. II. pag. 419.

vel *donum* interpretatur, si potestatem spectes, et eidem assentior: quandoquidem vox eadem in pluribus recurrit, et in eamdem plane significationem; de qua minime dubitandum. Quod si vocis originationem consideres, quam ille deducere conatur, vel ἀπο τοῦ ἱερος, vel ἀπο τοῦ πλῆς, id non satis liquidum. Quod nemini fraudi esse debeat, cum in dialectis huiusmodi pervestigandis plerumque a rebus ad voces, raro a vocibus ad res, nos veluti manu duci, necesse omnino sit.

3. Quod autem vocem *phleres* cauda sua, id est sigmate finali, Lanzius multet, transferatque contra legem terminalem ad vocem insequentem, unde illi SVTHVR Σωτηρια, vel Σωτειρα, prosilit; id mihi nullatenus concedendum reor viro probatissimo. Vox enim consequens est VTHVR, non SVTHVR, de qua, quid sit, accurate inquirendum.

4. Oscis olim auferendi casus singularis litera D claudebatur, ut *Aetud*, *Dolud*; quod utrum desinentiae proprium, an τῆς παραγωγῆς ἕνεκα factum, in medium relinquam; etsi in hoc posterius magis inclinet animus. At Etruscis ex adverso idem casus non litera D, sed R, au-

gebatur. VTHVR idcirco habeo pro sexto casu, quem reddas VOTO. Sic nostratium vulgus passim hodie ait: *no' uto*, et *no' vuto*. Quae observatio cum inobservata viris plerisque interdum doctis praetereatur, mirum in quot sese senticeta, labyrinthosve incauti coniiciant, a quibus numquam expediantur. Mihi fixum omnino est, sacerrimumque, ut si quando vox una, aut altera in deperditis Italorum dialectis occurrat notae potestatis, quae integra, et ὑλικῶς adhucdum perseveret in graeco, latino, vernaculo in primis idiomate; huic potissime insistendum omnino sit, ab eaque nec latum unguem recedendum, ut certa ab incertis secernantur, nec ab his illa obtenebrentur, sed haec potius ab illis lucem, quam possunt, recipiant. Quid si et vocis, de qua quaeritur, nota acceptio in rem, uti in re nostra, perbelle quadret? Sed de his paullo post. Tironem meum monitum interea volo, in his haud raro patere domi, quae ab Hebraicis, Aegyptiis, Aramaeis, Phoeniciis, Germanicis, Armoricis, Celticis fontibus frustra petas.

5. Ubi autem vox non eadem κατὰ γραμμα occurrit; et soni tamen adfinitas consideranda, et τοῦ ἐτυμοῦ sedulo habenda ratio, et literarum

denique, syllabarumque sive permutatio, sive redundantia, sive defectus. Linguae siquidem primigeniae unius veluti farinae massae quaedam sunt, de quibus hic formam unam panis effingit, alteram ille, et ita porro. Eccui namque in mentem venisset, quod alibi observatum, de *Laomedonte* fieri olim potuisse *Alumentum*, et *aegritudinem* de *necritu*, ut innumera huiusmodi missa faciam, nisi prudens antiquitas haec nobis tanta cum accuratione tradidisset, quanto nunc cum fastidio, risuque haec excipiunt saperdarum plerique, diariorum in primis consarcinatores? Atqui ecce nil tale cogitantes eo, natura ipsa duce, iam devenimus, quod polliciti paullo supra fueramus. VTHVR cum simplici V initiali scriptum occurrit, sine digammate, quod insecutis temporibus tum praeponere, tum inserere vocabulis consuevere. Ita olim, ut his unis exemplis sim contentus, IVENTIA pro IVVENTIA, et *sultis*, idest, *si ultis*, demum *si vultis*. Paucis: quod Etruscis VTHV, Latini *votum*, Graecis ἐυχη, nostratibus passim *uto*, et *vuto*.

6. ƎVИA√. Male vox haec habita a Lanzio, quam a caeteris sedula interpunctione disterminari oportebat. Est enim manifestario, inserto

digammate, *Lanuve*, sive *Lanuviae*, unde *Lanuvinae*, aut *Lanumvinae*, Iunonemque ciet tam elata voce, qua nec Stentor in Danaum concilio uteretur. Quae singula si accuratius perpendisset Lanzius, *Larthiam* profecto illam *Noviciam*, renovato Taigetis prodigio, minime in scenam, non plaudente cavea, induxisset. Sed fato rerum humanarum, qui summi in maximis, interdum caecutiunt in parvis.

7. Supersunt postremi characteres tres IΘI, qui in unum compacti dant ITHI. Quid haec? arcessam libenter a graeco *ἰθυς*, *rectus*, vel *ἴθη*, *laetitia*. Plane ad rem! In re enim votiva respondent Latinorum formulae notissimae: *Libens merito*. Sic igitur titulum omnem latine reddiderim:

LARCIVS. LICINIVS. KE. D. D. EX. VOTO.
LANVVINAE. L. M.

De voce Ǝꓘ puncto duplici disterminata silet Lanzius. Vox fortasse breviata, quae *Cecinam*, aut aliud, simile nomen sive paternum, sive maternum *Licinii* denotat.

§. II.

Osca nonnulla.

Antinatium fundus est titulus prior, quem explanandum aggredior, lamellae aeneae insculptus, qui tamen a laeva ad dextram procedit. Characterum formae romanas adamussim referunt, si unam excipias Γ, quam fuisse P, sine haesitatione pronuntio, plane ut graecorum Γ vetus cum hasta verticali dexteriore dimidiata. Quorum utrumque indicio esse queat, ad ea illum tempora fore reiiciendum, in quibus romanorum apud Oscos et dominatus, et dialectus invalescebat. *Votiva* res in manu est: animum advorte. Titulus est talis:

ΓA. VI ΓACVIES. MEDIS
VESVNE. DVNOM. DED
CA CVMNIOS. CETVR

Epigramma dudum a Romanellio nostro vulgatum, expositionis addito munusculo, non suo illo quidem, sed hominis, cuius nomini consultius multo pepercisset. Huic enim in illo contemplando obversatus est animo *Pacuius* quidam, qui *Venusiae domum suam dedicat cum omnibus*

caeteris. Nempe interpreti nostro *Vesune* fuit *Venusia*; *dunom* versum est in *domum*; *rer* in *dedicavit*; denique de *ca cumnios cetud* profectum est mirabile illud: *cum omnibus caeteris*.

Age, *age*: *usque excrea*.

Quae non gratuita mordendi libidine dico, sed ut quorumdam coerceam imprudentiam vanissimam, quibus certum est, nihil sibi contingere miserius posse, quam si in re quacunque proposita verba videantur deesse, silentioque demum suo profiteri, se nescisse aliquid. Atqui plura se nescire, pauca admodum perspecta fateri, sapientiae munus praecipuum est. Sed age, rem nostram agamus: malo quandoquidem huiusmodi medicinam afferre velle, insipientis esse puto. Tabellam ipsam, quam sibi comparavit Tutius noster, cupediarum eiusmodi appetentissimus, ipsi vidimus, contrectavimus, descripsimus. Foramina duo ad latera latitudinis, quae excurrunt per uncias duas, cum longitudo continuetur per uncias octo.

Nihil est ἐν τοῖς γράμμασι, syllabisve, quod te moretur. De *Vesuna*, *Petrocoriorum* (Pe-

rigueux) in Aquitania Oppido , apud Gruterum: (1) haec invenias:

IOVI. PR.... PAC
AVG. VES*u*N...
C. POMP. SEX. V. S. L. M

Votum susceptum, solutumque *Iovi* a C. Pompeio Sexto in Oppido *Vesunae*, vel *Vesuniorum* nomine: quamobrem nihil hic de *Vesuna Dea*, quam insinuat, et colere videtur lamella Osca. Nunc more nostro antiquo propositi τȣ̃ ἐπιγράμματος partes singulas ἀναλυτικῶς rimemur, ut quid sit intus oleae durum, κατὰ τὴν συνθεσιν manu tangamus.

1. PA. Quid syllaba haec puncto a caeteris dextrorsum disiuncta? Pro initiali accipio vocis *Pacuvii* redintegrandae in gignendi casum. Ridebit fortasse ad haec de gente Fabiana quispiam. Sed rideat, an rudat, nihil pensi est, quando nihil Asino cum fidibus canoris. *Nominum* quippe una dumtaxat syllaba, aut litera unica initiali insinuatorum, exempla passim obviant in veterum monumentis generis cuiuscumque. Neque in casu nostro ullum ambiguitatis

(1) Pag. 22. n. 2.

periculum, recurrente statim post characteres duo, et sane ὁλογραμματως, voce *Pacuies*, quae sine dubio *Pacuvius* est casus recti. Hinc

2. Syllabam VI solitariam compendiario positam arbitror pro eo, quod graecis est υἱος, latinis *filius*, Etruscis *Fios*, de quo vide Lanzium (1), alternante videlicet digammate modo cum litera V, interdum cum litera F. Sic Cassiodorio testante (2), *Virgo* dicta, et *Firgo*, et *Felia*, et *Velia*, et *Serfia*, et *Servia*; et adhuc apud Germanos *Vicus* est *Ficus*, ut Oscis olim 8ΣΙΚΟΊ pro *Veicos* in eamdem significationem. Sensus itaque erit trium illarum particularum: *Pacuvii Filius*, *Pacuvius*. Qui sane loquendi modus sororiatur cum romana inscriptione illa, cuius initium est: PATER. SENATORIS, et de qua mirabatur olim tantopere Antistes eruditissimus Lupulus (3), *portentum* illam *capitis* vocans *vel Oedipo mirum*. Dixisset prudentius tituli formulam paullo insolentiorem. Nam quod addit, *nihil* formula haec *commune habet cum reliquo*

(1) Vol. 1. pag. 133.
(2) De Orthogr. 2282.
(3) It. Ven. Marm. Aecul. n. XV.

epigrammate, quis hoc ei assentiatur? nihilne commune *parentibus* cum *filiis?* Atqui *P.* ille *Oppius*, quem honorario marmore remunerari propositum fuerat, *Pater* fuerat P. Oppii Senatoris, quae paternae gloriae accessio non minima, si quidem liceat, quod licuit, semperque licebit, parentes filiis, filiosque parentibus gloriari. Hinc mos ille sanctissimus non parentes dumtaxat, sed et àvos, atavosque in elogiis ciendi. In quam rem facit opportune epigramma recens e Lunensibus ruderibus effossum, quo me donavit, beavitque suavissimus, atque eruditissimus Collega meus, Borghesius. Ecce tibi illud, de cujus singularitate minime dubito, quin singularem capturus sis voluptatem:

....APPVLEIO. SEX. F
GAL
SEX. N. SEX. PRON
FABIA NVMANTINA
NATO. VLTIMO. GENTIS
SVAE

At quando hic de voce *Filii* sermo incidit, non fuerit abs re adnotare, *cognominis* quoque loco illam interdum stetisse, ut de voce *Nepos* notissimum. Ita plane in titulo hoc, in quo haesit

Lanzius noster, at alucinatus omnino est vir omnium nasutissimus Iuvenatius. Titulus hic est:

C. GAVIVS. L. F
FILIVS

Quid ad haec Iuvenatius (1)? Repetitum quidem coniicit *Filii* nomen ad Gavii *ingenuitatem* confirmandam. Nutabit ergo in illis, qui nota hac reduplicationis destituuntur: quod cui in mentem veniat?

3. De voce *Meris* tralatitia omnia. Literam Z, qua terminari vocem oportuit, vide a Latinis redditan pro S; quod, qua de causa quibusdam minime se probet, plane non assequor, etsi libenter dederim, literae huic sonum aliquanto crassiorem ab Oscis assignatum, quam leni romanorum sigmati. Caret praeterea vox *Meris* additamento *toutiks*. Non itaque *Summus* erat *Pacuvius*, sed *alter a Summo*.

4. VESVNE. De Vesuna longe uberior narratio. Utinam minus iniucunda! atqui fortasse utilior. Ad vocis corticem quod attinet, de *Vesune* fac primo *Fesune*; deinde de *Fesune* fac *Ferune*. *Ferunam* denique habebis, quae La-

(1) Città di Aveja fac. 60.

tinis dicta *Feronia*. Primum admittes, si animo recolas, quae paullo supra memorata sunt de ancipiti quondam digammatis potestate. Alterum non negabis, qui probe meministi, de *Fusiis*, *Valesiisque* prodiisse *Furios*, et *Valerios*, et *Lares* nuncupatos, qui primitus fuerant *Lases*. Postremum mihi iure meo sumo, qui saepius commonui, Oscis V stetisse pro O. *Vesunae* tamen nomen perennasse in Latio recentiore, indicio est gens *Vesonia* romanorum notissima. Vocis ἔτυμον quidam repetunt abs Hebraico *pharah*, quod *Feronia* praedicatur *proventuum Dea*.

Deae huic nolo, vitula, aut ture facias. Quae tamen a veteribus credita, undeque ad eosdem appulerit, puto citra superstitionis crimen quaeri posse.

Si Dionysio (1) fides, Lacedaemonii Lycurgi ob nimiam severitatem pertaesi, cum Pomptinos agros occupassent, *Feroniae* templum inibi excitarunt, agrumque universum *Feroniam* dixere. De *Feronia* haec nunc in manibus Poetarum testimonia Virgilius. (2):

---

(1) Lib. II.

(2) Aen. VII. v. 800.

viridi gaudens Feronia luco.

Horatius (1):

Ora, manusque tua lavimus, Feronia, lympha.

Paullo plura de Antiquariorum promptuariis. Apud Fabrettium (2) legere est *Iuvenes Lucoforonenses.* Adde ex Lanzio (3):

FERONIA. STATETIO. DED

Quod et Lanzio ipso duce, meque in his a rationibns hujusmodi facile eius pedissequo, redde: *Feroniae Statetius dedit.* Titulum alium refert Maffeius (4), qui est huiusmodi:

FERONIAE. SAC
IN. MEMORIAM
MINEI. PRISCI. FIL
T. KANIVS. IANVAR.
SAC. GRATVITVS
ANNO. XXXX
D. D

Nimirum *Feroniae dono dedit Titus Kanius*

---

(1) Sat. V. Lib. I.
(2) Pag. 106. n. 251.
(3) Vol. I. pag. 125.
(4) M. V. pag. 80. n. 3.

Ianuarius anno XXXX. Sacerdotii sui *gratuiti*. Nec praetereunda *Feroniae Flaminia* Municipii Septempedani, cui *Camurena Celerina* nomen fuit, apud Gruterum (1):

CAMVRENAE
C. F
CELERINAE
FLAM. FERON
MVNICIP. SEPTEMP.

Vide apud Gruter. titulum alium de Feronia (2), si vacat.

Feroniam alii eamdem voluere cum *Proserpina*, cum *Cerere* alii, alii demum cum *Iunone* ipsa, quos inter postremos piget ciere Morcellium (3), quem in errorem induxit Maffei ille lapis (4) et a Fabrettio relatus (5),

IVNONI. FERONIAE
BARBIA. L. F. SECVNDA
AEDEM. SIGNVM. PORTICVS
D. P. S. D

(1) Pag. 308. n. 3.
(2) P. 25 n. 12
(3) De Stil. pag. 26.
(4) M. V. p. 80. r. 3.
(5) Pag. 450. n. 65.

At quem nunc latet, qui Diis, hominibusque *Genius*, eumdem Deabus, feminisque *Iunonem* appellatum? De *Genio* igitur *Feroniae*, non de *Iunone*, lapis intelligendus. Paucis. Hos universos, et singulos falsitatis coarguunt Virgiliana haec, quae non piget in medium proferre (1):

O mihi praeteritos referat si Iupiter annos!
Qualis eram, cum primam aciem Praeneste sub ipsa
Stravi, scutorumque incendi victor acervos,
Et Regem hac Herilum dextra sub Tartara misi;
Nascenti cui tres animas Feronia mater,
Horrendum dictu! dederat, terna arma movenda.
Ter leto sternendus erat, cui tunc tamen omnes
Abstulit haec animas dextra, et tandem exuit armis.

Quibus in antecessum positis, sic nunc de *Feronia* tecum collige. Feroniae fuit filius, *Herilus* nomine, rex Praenestinus, ab Evandro occisus. Et ne cavilletur quis, Virgilianam Feroniam aliam extitisse a *Feronia Dea*, adverte, ea a Virgilio tribui Feroniae suae, quae nisi

(1) Aen. VIII. v. 560. et seqq.

Deae, nulli praeterea convenire queant. Nam tres nascenti Filio animas dedit, et terna arma movenda, unde ter leto sternendus erat. Atqui praeter Heben, et Vulcanum, nullus Iunoni filius, nomine Herilus. Cereri filia unica, quam Proserpinam fatentur omnes. Proserpina ipsa sterilitatis vitio notatur. Adde; quod et Feronia Libertorum habita patrona, cuius in templo Servi, ut Servius testatur (1), raso capite pileum, insigne libertatis, accipiebant. Nunc quid horum commune cum Cerere, Proserpina, Iunone, aut cum Flora, Pomonave, quacum alii eamdem confundunt? Prudentius igitur *Feroniam* dixeris Deam Lacaedemoniorum peculiarem, ab iisque primitus in Italiam invectam, quae *Lucis*, et *Fontibus* delectabatur, quamque Sabini veteres, Latinique praecipue, coluere.

5. DVNOM. DED. Lege: *Runom rer*, quod vel me tacente, intelligis, illud ipsissimum esse, quod fuit Latinis: *Donum dedit.* Particulam CA, libenter acceperim pro praepositione *cum* Latinorum.

6. CVMNIOS. Possis, reddita literae M sua

---

(1) Aeneid. VIII. v. 564.

auxiliari E, legere *cumenios*, seu *comenios*, quae vox Lucanis *comononi*, Latinis erat *communis*. Vox profecto *communitatem*, seu *universitatem*, insinuare videtur; et si penitius introspicias, coalita fortasse ex praepositione *cum*, vel *com*, et adiectivo *omnis*. Etruscis quidem *omnis* fuit *umne*.

7. CETVD. Euganeis interdum auferendi casus terminabatur litera R. *Com. privnatur. dur*: *cum privatis duobus* (1). Oscis contra in D, ut in epigrammate nostro. *Cetud* porro hic sapse, si fas lingua loqui Enniana, vel Plautina, pro Latinorum *coetu* se prodit, si unum excipias diphthongi discrimen, qua vocem hi augent, illi multant. Itaque *ca cumnios cetud* ad literam esset; *cum populi coetu*. Titulum post haec omnem de Osco romanum factum κάτα γραμμα sic audi:

PACVVI. F. PACVVIVS. MEDIS
FERONIAE. DON. DED
CVM. POPVLO. VNIVERSO.

---

(1) Tab. VI.

§. II.

Agri Anxiani titulus Oscus insignis exponitur cum nonnullis aliis.

Votiva adhuc res nos detinet. Titulus est huiusmodi, lamellae item aeneae incusus, cui foramen superne, quo olim suspendebatur. Prostat nunc in Museo Michaelis *de Giorgio*.

Θ o3. λ ϽΣ Π ΝИΝΚΙV√ : ƎΝIƎϹƎƎ Θ
. . . Ν√ΝΠ ƎΝλΝΚ : ΖΝΠΝΝ

Forma literarum quadrata. Literae *e* figura duplex, nempe 3, et ꟻ. Legesis ita a dextra ad laevam procedens:

CEREIAE. LVEKANA. PC. L. EO.
AAPAS. KALNE: PALA ... .

1. *Cereiae*. Bene habet. Quod hic sine nucleo est *Cereiae*, in marmore Pompeiano Com. nostri XI. pag. 9. est ⱵΝIIƎϹƎƎ. Oscis itaque litera I cum puncto, seu lineola dextrórsum, erat E: et II, idest *i* geminatum, erat item E, sed tamen producta. Ⱶ ΝΖVV√8 igitur, quod legitur, in fronte Arulae nuper Pompeis effos-

sac, est PHLVVSAE, aut PLVVSAE, dempta adspiratione. Concinit his vox ꓤꓱꓤꓨꓥꓨꓤꓥ; quae redditur *Trebula*, unde *Trebia*. De PHLVV-SA, seu *Pluusa*, obiter dixerim, Deae fortasse nomen illud extare, quae Hyems dicta a Virgilio (1)

Nigram Hyemi pecudem,

et *Tempestas* in vulgatissimo Scipionis epitaphio: DEDET. TEMPESTATEBUS. AIDE. MERITO Illud item, occasione nacta, non praetereundum: vocem ꓝꓲꓲꓳꓱꓟꓥꓤ, de qua disseruimus alibi, fuisse revera *Aceres*, penultima syllaba, et ultima productis, quae idcirco a Latinis post *Acerrae* fuere nuncupatae. Redeo nunc ad vocem *Cereiae*.

Formam ꓶ fuisse *Ve*, in comperto est. Sed stetisse etiam pro C. seu K, ne temere alio loco dictum abs me arbitreris. Libet nunc et de hoc ampliare. In numis est ΚΟΩΣ, quod redditur *Κοας*, nempe Σ pro sigmate. In patera (2) ALSE pro *Alce*, seu *Alceste*. In Inscriptione Sigea ΣΑΞΙΩΝ Froelichio, et Exke-

(1) Aen. III. v. 120.

(2) Dempster. Tab. XXXVIII.

lio est *Sasion*. Quae evincunt, formam Ɔ haud raro usurpatam pro C Gallorum leni. Nunc pro K, seu pro C asperiore, haec suppetunt exempla. In monumento Etrusco (1) est: I+AqƎƆ IИVIƆ V, quod Lanzius recte interpretatur: *Lars Cilnius Veratia*. Vide eamdem Ɔ nunc pro C aspero, nunc pro *Ve* adhibitam. Ad haec: in titulo bilingui (2) Ɔ solitaria latine redditur *Caius*. Quae cum aio de Ǝ solitaria, nolim trahas ad ƎƆ, nempe ad Ǝ, quae quiescit in E. Nam hoc in casu est *Velius*, praenomen etruscis usitatissimum, quod tamen quidam non recte vertunt in *Caium*. Ex quibus omnibus valde veri simile fit, vocem ƎИIƎqƎƆ fuisse olim *Sereiae*, vel potius *Çereiae*.

Ita et *Arse* pro *Arce* veteres dicere amabant. Qua in re taxanda Dacierii intempestiva corrigendi prurigo, qui Festum ex eo insectatur, quod in commate *Arse verse* reddiderit *arse* averte, et *verse* ignem, quod contra dici oportuerat, si Dacierium audis, cui *arse* est ab *arsisse*. Sed toto, ut aiunt, caelo ab-

---

(1) Vol. II. p. 380.
(2) Maff. Oss. lett. Tom. VI. pag. 13.

errat. *Arse* quippe minime contractum est vocis *arsisse*, sed verus imperandi modus verbi *arceo*; unde *arse* est *arce*, vel *arceto*. *Verse* autem, quasi *urse*, repete ab VR Chaldaerum, unde Latinorum *uro*, et graecorum πυρ promanavit. Lanzius in hoc humaniter culpam a Festo arcet; Dacierio tamen plaudens parum aeque transfert in Festi Breviatorem. Sed in hoc neuter culpandus: absolvendus uterque. Temeritatis crimine notandus Dacierius; Lanzius importuni in Dacierium obsequii.

2. N̄ИN̄ʞƎVV. Quod igitur Latinis fuit *Lucanus*, Oscis erat *Luekanus*, alternantibus inter se diphthongis VE, et OV. Atqui eccam tibi *Cererem Lucanam* τόν τροπον *Cereris Pompeianae*, de qua nihil est, quod ultra commemorem. Caetera lineae huius interpolata: nec tanti porro videntur, ut in iis conquirendis operam, oleumque perdamus.

3. ZN̄ΠИИ. *Aapas*. Scio, ἀπαξ Graecis etiam in monumentis esse *semel*. Verum id ad rem nostram non belle quadrare, quisque per se videt. Vocis contra desinentia, orationisque in primis contextus, ut in nominandi casum accipiatur, suadent, quem, sublata A una red-

undante, quantitatis ergo, dicas *Apasius*. Atque ecce tibi lamellae votivae auctorem, quae *Cereri* olim *Lucanae* suspensa fuit. Et fortasse qui apud Oscos *Apasii*, dicti inter Romanos *Apisii*; quandoquidem nulla in priscis dialectis vocalis, quae non in alteram quamcumque facile transierit.

4. ƎNΛИꓘ. *Kalne*. Est alterum *Apasii* binomii nomen, quod, reddita liquescenti L auxiliari E, fiet *Kalene*, Kalenum puta patronimicum a *Calibus*, hodie *Calvi*. Sed liquescenti eidem auspicatius forte sociam addas literam I; nam, quae *Balnea* vulgo, quondam dicta *Balinea*. Id si sit, *Kalinum* habebebis, notae originis, potestatisque vocabulum. Interim in memoriam revocare, iuverit, desinentiam in E pro nominibus Tuscis iuxta, atque Oscis fuisse familiarissimam.

5. ИλΝΠ. *Pala*.. At vox non integra. Videtur fuisse Latinorum *τὸ palam*; nec in Musica nostra canit extra chorum. Reddi quippe potest *publice*. Epigramma idcirco tale fuisse videtur:

CERERI. LVCANAE. *Ex voto*
APASIVS. KALINVS. PVB. D. D

6. Qui nunc sequitur, titulus alter, *Castri* vulgo *de Sangro* fundus est, in Lapide exaratus, cuius longitudo palmorum fere quatuor, latitudo duorum.

ЯꟻƎVƧ. ƆΠ. ƎЯ ƆΩ
ЯƎƧΠV. ƎΠꓘI

Quem sic expositum a viro erudito, nescio quo, accepi:

Pacolus. Filius. Pacoli
Sacerdos. Veneris. Vmbriae.

Fucum, nisi fallor, interpreti tria fecere. Primo litera Ω, quam ille habuit pro P: est autem L. Deinde litera ꟻ. quam constat fuisse A, cum ipse interim videatur accipere pro N. Inde etenim profecta *Venus* illa, concha iterum novo veluti *invecta salo*. Denique litera Я, quae Oscis erat D, et quam interpres pro rhotacismo mero habet.

Veneri huic Umbriae τὸ ἐπίθετον conciliatum ab interprete suspicor a voce ЯƎƧΠV, quasi si, remoto sigmate, additaque M, prodeat VMPER, seu *Umber*, propter affinitatem literae B cum P. Verum unde *Paculo* Sacerdotii huius insignia quaesierit, frustra quaeras. Paucis. Lege sic.

LK. DE. PR. SVUAD
EEIPE. VPZED

Titulus mere sepulcralis, et quidem de *Familiarium*, ut aiunt, genere, de quo sic habe.

LK. Idest *Lucius*, romanis *praenomen*, haud infrequenter et *nomen*. Oscis fuit *Loucius*, aut *Leucius*, ut in titulo superiore, ἀπὸ τȣ̃ λευκοῦ.

DE. Praenomen *Decimi*, qui *Pacoli Pater*: unde illi, more romano, subintellige *Filius*.

PK. Sive *Paculus*, aut *Paculus*, sive *Paccius*, nihil moror.

SVUAD. Reddo: *Suae*, hoc est *Genti*, vel *Familiae*, quod romanis fuit SVIS, SVEIS, et SVVEIS.

EEIPE. Solverim in duo: EE, et IPE; eritque EE *et.* IPE vero, addito sibilo aspirante, fiet *sipe*, idest SIBE, ut dictum non raro a Latinis pro SIBI.

VPSED. Nempe *Opsed*, quod litera O carebant Osci. *Opse* autem est *ipse*, ut OLLI pro *illi*. Titulus itaque sic romano palato potest adcomodari:

L. DEC. F. PACVLVS. SVIS
ET. SIBI. IPSI

7. Omitto de fragmento Osco nobilissimo, nuper Pompeis reperto, dicere, ne sacer fiam. Utinam! enatent eiusdem reliquiae, quod non desperandum. Decurrit enim characteribus sane elegantissimis per lineas integras quatuor, quod quanti sit ἐν τοῖς χειμηλιοις huiusmodi, ii norunt, qui in obsoletis Patrum nostrorum dialectis investigandis operam suam collocarunt. Tangitur in eo, nisi fallor, *Velius* quidam *Hyrrius*, Pompeianus *Quaestor*, cui *operis* cuiusdam *publici* partes demandatae, ut ex voce obtruncata in fine. N̄N̄MN̄NN.. colligere est, in cuius gratiam mihi ampliandum tantisper.

Auctor Dissert. Isagog. (a) eam interpetrabatur olim: *Septum posuit*, vel, quod in idem redit, *septo conclusit.* Scilicet vocem *aamanaffed* ab *aamanafferre* deducit, et particulam *am* in compositis nemo ignorat esse *circum*; unde *amanafferre* fit illi *ambire*, *circumdare.* Verum enimvero in praeterito *aamanaffed* pronius est verbum *facere*, quam *ferre*, παχυτερῶς obaudire, et in *man* insequente *manus* suboleat magis, quam aliud quidpiam. Observatum praeterea alibi nobis est, vocem ipsam cum addita

(a) P. 1. Cap. XIII.

pruffatted conspicuam se dare in Operibus Oscorum publicis. At cui nunc persuadebitur, opera Oscorum publica universa *septo* fuisse *conclusa?* Constitutum idcirco per nos est, *aamanaffed*, et *pruffatted* illud ipsum Oscis fuisse, quod romanis dicebatur, *fecit*, et *probavit*; neque ab expositione hac recedendum idcirco censemus, nisi luculentiora, certioraque eadem in re occurrant.

§. III.

Nobile Foederis Frentanòrum sacri monumentum marmoreum. Marmoris historia, dialectùs, sinceritas, restitutio, illustratio.

Seculi huius initiis, *Anxani*, Frentanorum Oppidi pervetusti, nunc *Lanciano*, ingentes inter ruderum aggestus marmor effossum per palmos quatuor excurrens, graecis exaratum archaicis characteribus, graecoque ore loquens. Nulla verborum intervalla, interpunctiones nullae, uti mos veterum graecorum iuxta, ac latinorum. Diffractum tamen in partes duas prodiit, et quod magis dolendum, laeva, dextraque in locis nonnullis mancum, atque imminutum. Quod novi-

tate sua omnium animos perculerat, publico gaudio exceptum, membranisque chartaceis primo expressum, mox descriptum in tabella aenea, curis, et impendia Nicolai de Cecco, I. V. D. Nec membranas hasce, nec tabulam aeneam inde expressam, nobis inspicere datum. Tantum posterioris huius exemplar unum nobis tradidit vir amicissimus, idemque suavissimus, Ianuarius Ravizza, cuius tibi schema fidelissime delineatum cum supplementis nostris mox producemus.

Non uno hoc contenti Anxanienses, marmor ipsum Neapolim deferendum curarunt, iudicium de eo praestolaturi Academiae Herculanensis, auspice Iosepho Zurlo, qui tunc ab interioribus regni negotiis erat, cuiusque recordatio non sine grati animi sensu recurrit. Monumenti τȣ̃ ἀυτογράφȣ fidem faciunt, praeter caeteros, Paschalis Liberator, notae vir probitatis, honoribusque functus, et vir illustris Antonius Columna, qui illud et oculis suis viderunt, et manibus contrectarunt. Quid post Marmori factum, penitus ignotum. Certe illud inter Musei Borbonici Lapides, quos inter paene consenui, nusquam offendi. Quae cum ita sint, mirari profecto sub-

it, fuisse aliquos, qui de monumenti fide addubitarint, illud homini cuidam novo tribuentes, quem nominare non licet, et a quo, si quid tale desideres, aquam impetrabilius a pumice postules. Quibus hi momentis inducti sic de Marmore statuant, me nescire profiteor, cuius non tam acutae nares, ut dubitationis huius vestigia valeant olfacere. Sed homines novi. Hi dubitant de ominibus, vel dubitare se, simulant, sive quod pudet, rogatos se nescire aliquid, fateri; seu quod in talibus quidquam fortasse deprehenderint, quod cum praeconceptis animo opinionibus parum amice conveniat. Atqui mallem, quid in marmore sive genuino, sive supposito, contineatur, edocuissent, quod tamen neminem eorum fecisse, constat.

Et sane historiae temporum, et veteris τῆς γεογραφιας, et graeci antiquissimi sermonis, et priscae τῆς ὀρτογραφιας quisquiliarum, et gentilitatis religionum oppido eum perdoctum fuisse oportuerit, qui novi plane generis monumentum tanta cum felicitate, verique specie commentus sit, ut a nemine, vel nasutissimo, apertae falsitatis redargui possit. Neque haec dici

a nobis ideo putes, quasi telam retexere pigeat, quae tanto nobis labore stetit. Veritati unice litamus. Qui monumenti posthac certis argumentis falsitatem ostenderit, huic gratias et agemus, et habebimus, et vero, si possumus, referemus etiam. Sed lite hactenus iniudicata, immo ne intentata quidem, melior esto conditio possidentis. Et si adiudicari quoque deinceps intentantibus contingat, nec idcirco laboris nostri poenitebit, qui in re etiam falsa nihil attulimus, quod solidae eruditionis emolumento qua qua versum repugnare videatur. Nunc rem nostram adgredimur.

Marmoris ἐκτυπον e tabella aenea accurate expressum, quo maiori lectoris commodo inserviremus, ultimo loco de industria exhibendum curavimus.

Supplementorum indicia, ut vides, formae characterum minores. Quo marmoris tum versioni, cum expositioni multo magis paratior sit via, grammaticorum in primis tricae nonnullae expediendae sunt.

1. Spiritus densior insinuatur ἀρχάϊκως per notam Ͱ.

2. A pro E, Dorensium ingenio. Sic Ρομυλααν pro Ρομυλεαν, et ver. ultimo ἰαραν pro ἱεραν.

3. Pro Ω interdum O simplex, Aeolice, et υ merum pro diphtongo ου, ut in voce eadem Ρομυλααν loco τῦ Ρωμυλεαν. Et βυκιας pro Βουκιας, idest *Bucas*, oppidum Frentanorum. Qua in re duo notanda. 1. *Bucas* antiquitus, seu *Bicias*, πληθυντικῶς, non *Bucam*, seu *Byciam*, dictas, ut *Herdoneas*, minime *Herdoneam*, quod alibi observatum. Perperam idcirco 2. eos erroris insimulari, qui post, pro *Buca* passim recepta, *Bicam* dixere. Quin βυκια, prae *Buca*, sincerior habenda, utpote antiquior. In v. item ultimo βυ pro βῦυ, voce decurtata, quae reddenda βῦυσι, ut loco suo palam fiet.

4. Ad v. 2. το ͰΙΑΡΑΣ cave, ne pro voce una accipias. Dispesce in duo, idest Ι', et 'ΑΡΑΣ. Fuit autem Ι' olim graecis *ipse*, unde

οῦ in gignendi casum, μιν in accusandi. Consule Schrevelium in voce utraque. Ἀρα, ας, ut tironibus notum, est *prex*, seu *votum*, cui opposita ἡ επαρα, ασ, *imprecatio*, *Dirae*. Utrumque ab ἀραομαι vel ἀρωμαι, *vota facio*. Caetera generis huius, pol morosa, per viam, prout se occasio dederit, sobrie perpendentur, quo lectori fastidium minuatur.

Epigrammatis interim haec latina interpretatio, de qua iudicent eruditi, moneantque amice, si quid aliter visum.

Iupiter Eleutherius,
Ipse, qui Frentanorum Commilitonum vota
Novit una mente suscepta.
Quandoquidem (quod felix) Anxano, Pallano,
Anxanto Bycias, Romuleas,
Et arcum Ortoniatium ad litus adiacentium:
Et Aterno, et Pherento, et Aetio
In omnibus consociavit penitus Cluvias,
Et Sarantanorum Pentrorum Conciliabula,
Et Audi, Girylis, Phisii,
Et Italorum Trinii accolarum omnium,
Et omnium Senelensium et pagos, vicosve:
Universi Patriae amatores heca-
tomben sacram bobus XLI. fecerunt.

Nunc singulorum, quoad per vires licebit, reddenda ratio, ne quid temere dictum putetur.

Mihi minime dubium, contineri titulo hoc Frentanorum *vota* pro foedere quodam inito inter sese, libertatis causa asserendae, Iove Eleutherio auspice, et vindice. Cuius foederis partes primae concedendae sine cunctatione sunt Anxanianis cum Pallanensibus, et Anxantinis. Verum qua tempestate, quave occasione, et in quos foedus huiusmodi peculiare initum, id paullo altius repetendum. Quod antequam exequamur, pauca praemonenda de graeco marmoris incessu, habituque.

Romanellius, vir originum suarum studiosissimus, nullum se apud Frentanos invenisse testatur graecitatis indicium. Quod si de graecis Coloniis mediterraneis in Frentanos deductis intelligatur, ut idem insinuare videtur; ei profecto minime repugnabimus. Et *mediterraneis* de industria dixi: nam de *maritimis* est dubitandi locus. Certe Ortonia, urbs maritima, graecam nomine ipso prae se ferre originem videtur. Verum de his videant hi, quorum interest, quique otio fruuntur beatiore. At si de graecae linguae peritia, usuque inter eos-

dem accipiatur ; ut caetera deessent argumenta innumera, marmor hoc unum, quod est in manibus, testimonium contra diceret luculentissimum. Et non pauca Oppida Marmoris huius, vel ipso nomine suo, nonne graecam prae se ferunt manifestam originem? Nec apud unos Frentanos, sed per Italiam universam dudum ante Bellum Sociale, graecum sermonem fuisse pervulgatum, is ignoret, necesse est, qui de Patrum nostrorum historia literata ne fando quidem audierit. Nec sine causa bellum hic sociale memoratum : nam tumultus huius occasione et foedus inter Frentanos conciliatum, et marmori publice consignatum fuit, uti mox ostendetur. Sed eccur, inquies, non latina, aut osca, sed graeca potius dialecto celebratum? quippe belli samnitici numi ore osco passim loquuntur. At ego factum, aio, in romanorum praecipue odium, contra quos Italia fere omnis conspiraverat. Et graeci porro sermonis usus, prae osco, latius patebat, et ad rem sibi propositam multo opportunior habitus. E diverticulo nunc in viam.

Samnites in *Caudinos*, *Saricenos*, sive *Caracaenos*, et *Pentros*, olim divisi. Nam Hir-

pini, Samnitium proles, iure suo, arbitrioque fruebantur. *Frentani* ad *Pentros* relati, quorum facile caput Bovianum, Frentone, unde illis nomen, Aternoque fluminibus terminabantur. Anno V. C. 472. Samnites Pyrro adhaeserunt in bello adversum Romanos. Frentani contra anno V. C. 528 cum Romanis stetere contra Gallos: et in bello altero Punico, Annibali infensi, una cum Marsis, Pelignis, Maruccinis, Vestinisque pugnarunt pro Romanis. In Bello tamen Italico, persona demum deposita, inter primores classicum cecinere in Romanorum excidium. Nunc si belli huius tempora omnium calamitosissima excipias, nullum praeterea aliud in tota romana historia tibi praesto erit, quocum foedus hoc quo quo modo componas. Confecto quippe Bello Italico, eccui post illud assignes? Ante bellum vero sociale, Italis universis sanctum erat, romanorum iussa, sub honesto *Sociorum* nomine, et fideliter excipere, et religiose exequi. Ad haec tituli ipsius ἡ ἀυτονομια Iovi Eleutherio inscripti, exerta voce clamat, nonnisi ad tempora isthaec illud, aliaque eius similia, si quae sint deinceps proditura, referri posse. Nam foederum eiusmodi non

unicum hoc putandum est extitisse pro tempestate illa exemplar. Sed belli exitus, et res denique romana superior, ut caetera in nihilum abirent, vi, metu effecerunt. Fatoque Frentanorum bono tribuendum, ut foedus hocce suum in ipsis belli exitialis cladibus, ac ruinis, ruderibus immixtum tamdiu sub terra delituerit nulli notum, ut sartum quasi tectumque post secula tot ex inopinato ad nos pervenerit. Nec enim tuto, palamque asservare illud Anxianenses potuissent post belli exitum.

Et satis haec fortasse videri queant, si grammaticae unius, et τῆς χρονολογιας ratio habenda foret. Verum enimvero et ἡ γεογραφια vetus, historiae oculus alter, et *res sacra*, qua de agitur in primis, nam titulus sine haesitatione de *Sacrorum* genere est, quidpiam desiderare praeterea videntur, quod praestare aliter non posse, video, nisi rem omnem κατά τῆν περιοχην ἑκαστην iterato aggrediar. Itaque

1. Γ ἀρας ὁμονοια αλωσας ευραν Φρενταναν Συμμαχαν. Est ὁμονοια in dandi casum. Heic tamen επιρρηματικᾶς, idest adverbialiter accipiendum, subintellecta praepositione συν, aut εν; nec enim constare aliter ἡ συνταξις posset.

Αλωσας, uti est per nos restitutum, dorice pro Αλουσας, repete ab ἅλωμι *capior*, *suscipior*. Et recte *vota suscipi*, *nuncupari* dicuntur. Idcirco ἀρας αλωσασ *vota concepta* interpretati sumus. Εὑρων autem est, *qui invenit*, *deprehendit*. Nos vim, non literam sequuti, reddidimus: *qui novit*, vel si mavis, *suscepit*, et ad Iovem Eleutherium retulimus.

2. Το Βουλητω Αγξανῳ Πιλλανῳ - Ανσαντωτας Βυκιας, Ρομυλαασ - καί Ορτονιαs τοξον ἡονι σταντων - Ατερνῳ, καὶ Φορκαντῳ. Particulam τό seu accipias ὑλικως, prout in marmore legitur, seu pro τῳ, ut Ρομυλαασ pro Ρωμυλαασ, perinde est: valet enim *idcirco*, *quandoquidem*, aut simile quodvis aliud. Loco huius, Latini in monumentis libentius utuntur particula *quod*. Βουλητω in dandi casum vim etiam habet adverbii, eoque insinuatur quidquid *pro voluntate*, seu *ex voto cadit*. At in *re votiva*, qualis haec nostra, Latinorum formulae illi sollemni respondet, quae est: *Quod felix*, *faustum*, *fortunatum siet*. Et bene habet: quandoquidem de accessionibus dicendum fuerat, quae primo huic foederi factae sunt deinceps.

Αγξανα. Nobile Frentanorum Oppidum, nunc

Lanciano. Παλλανοῦ item Oppidi meminit Tabula Peutingeriana statim post *Anxanum.* De *Axantinis populis* commemorat Plinius, eosque inter Marsos enumerat. Anxano deinde, Pallano, et Anxanto foedere consociantur Byciani, Romuleenses, et Ortoniates, quibus a iaculandi peritia commendatio singularis arcessitur. Nisi τὸ τοξον velis μεταφορικῶς accipere pro *vi*, seu *potentia*, quo sane sensu in Scripturis sanctis saepius usurpatur *arcus fortium.* Sed in casu nostro sensus literalis tutior. Quo posito, unde nupero, ut volunt, tituli huius auctori notum, Ortoniates olim *arcu* praestitisse?

Βυκιαι. Sic olim, non *Buca*, quae consecutis inde temporibus est relinquenda, et πληθυντικας, non singulari numero, ut *Herdoneae*, non *Herdonea*, quod nos docuit marmor Aeclanense celebre. Iniuria igitur, qui *Bicam* pro *Bucam* post scripsere, hi erroris insimulantur. Corrupte et *Buba* quoque nuncupata. Obviat in Itinerariis, civesque *Bucani* appellati, quorum frequens in marmoribus recordatio. Urbs maritima percelebris, quae, ut Romanellius solide coniicit, eo olim stetit, ubi hodie *Pen-*

na. Ptolemaeus sine nucleo assignat Frentanis cum Anxano, Larino, Tiferno, et Histonio. Quae oppida ius est interrogare, Histoniumque praecipue, eccur in marmore nostro sileantur; cum interim in eo Romulea memoretur, longius a Frentanis posita? Id, nisi vehementer fallor, marmoris τῆς αὐθεντίας una, ac historicae veritatis indicium certissimum extat. Nam si illud saeculi huius nostri initio a veteratore quovis de industria confingendum fuerat, is haud ita facile Theaten, aliaque Frentanorum oppida nobiliora praeteriisset: et notis potissimum Itinerariis insistens, Bucae, Anxano, Ortoniae, Aterno vel Histonium adiunxisset. Plinius profecto (1), quo uno exemplo contentus ero, *sequitur*, inquit, *regio quarta gentium vel fortissimarum Italiae. In ora Frentanorum a Tiferno flumen Trinium portuosum. Oppida, Histonium, Buca, Ortona, Aternus amnis* (hic puto corrigendum, *qui et Amnis*, quo intelligatur, *Aternum* et *oppidi*, et *omnis* nomen fuisse). Quod idem narrat Mela, etsi ordine inverso, nam ab Aterno progredi-

(1) Hist. Nat. Lib. III. Cap. 12.

tur ad Tifernum. Cur itaque, Buca recensita, quae Histonium inter, et Ortoniam iacet, de Histonio altum silentium? Nimirum marmori Anxaniano, quod res erat, dicendum fuerat foederis initi tempore, quo oppida praetermissa aut pro Romanis adhuc stabant, aut haerebant, aut alia inter sese, seorsum ab Anxianis, foedera instituerant.

Rogandi quoque heic ius est: eccur marmoris auctor, cum in caeteris fere oppidis, fluminibusque computandis, receptis passim illorum nominibus utatur; in *Buca* una cienda, et τῷ ἀριθμῷ, et τῇ ορθογραφίᾳ a consueto more recedat, *Byciasque* dicat pro *Buca*? *Bucam* profecto habent, non *Bycam*, *Byciasve*, et Itineraria, et Plinius, et marmora demum omnia hactenus nota, quibus adcomodare rem suam religiose veterator curasset, si lectoribus illudere, atque imponere propositum fuisset. Sed *Buca* sine dubio, qua aetate marmor fuit exaratum, nondum romanam indepta fuerat civitatem, qua illam post aetas consecuta donavit. Nam in hoc, ut de Itinerariorum, Scriptorumque genuina τῇ ορθογραφίᾳ dubitare velimus, certe dubium omne excutient

marmora, in quibus diserte est *Buca*, et *Bucani*, quae olim Βυκιας, et Βυκιανους fuissse, necesse est.

Ρομυλαασ dictam arbitror *Romuleam*, nunc *Bisaccia*. Cluverius Hirpinis adsignat. Cur Anxanianorum foederi, etsi haud modice ab Anxano distans, accessit? nisi penitior alia lateat causa, peculiari id Romuleensium odio in Romanos tribuendum, a quibus indigna multa anteactis temporibus sustinuerant, quae te historia romana facile doceat.

Ορτονια. Vetus oppidum non incelebre. De eo vulgata omnia, quae afferri possent. Hodie *Ortona a mare*, ut a suis cognominibus distinguatur.

Ατερνος. Oppidi iuxta, amnisque nomen. Hic stat pro *Oppido*. Nunc *Pescara*.

Φοραντος. Dorice pro φορεντος, vel Φερεντος, a *Phoro*, Frentanorum flumine, sic nuncupatus. Latinis fuit *Ferenta*, aliud a *Ferento* prope Venusiam, quod Horatius *humile* vocat, multoque magis a *Ferentino* Hernicorum secernendum.

3. Αετιωτε παντονομοιτο κιινοντας Κλυονιας. *Aetii* restitutionem debeo Frontino, qui de eo

sic: *Aetium. Municipium. Coloniae vel Familiae Imperatoris Vespasiani iussu acceperunt.* Locus equidem corruptus, sic forte sanandus, interpungendusque, ut Frontinus, cui debeo plurima, et ipse mihi debeat aliquid: *Municipium. Coloni, vel Familia Imperatoris, Vespasiani iussu, acceperunt.* Quo intelligatur, Aetium, ante Municipium, Vespasiani iussu, traditum, assignatumque *Colonis*, seu *Familiae Imperatoris*; quae nimirum Familia, hoc ipso assignationis privilegio dici *Colonia* posset, et esset revera talis.

Vocem παντονομοιτο divide bifariam, παντον nempe, et ὁμοιτο. Est autem ὁμοω, ὁμῶ, *in unum coire facio, alteri alterum adiungo.* Sed ὁμοιτο Dorice pro ωμοοιτο, imperfectum, ut Θαειτο, vel Θεειτο pro εθεᾶτο. Quod autem Κλυουαι foedere, ex animo, adiunctae fuerint oppidis adhuc recensitis, id Frentani commilitones Iovi Eleutherio acceptum referunt.

Τας Κλυοουιας habeo pro *Cluviis*, Frentanorum quondam oppido munitissimo, de quo nonnulla alibi per nos delibata. Coloniam eo fuisse deductam, suadet figlina haec, hactenus fortasse inedita, quam debeo amicissimo Ravizzae.

MAX. FIG
COL. CLV

Et mihi fere certum, *Cluvias* olim, dictas deinde *Clibes*, vel *Clubes*, pro *Cluves* apud Frontinum, V nimirum commutata in B, quod nemini novum, ut *Bobianus*, et *Vevianus* pro *Boviano*, et *Baebiano*. Frontinum audiamus: *Clibes. Ager eius, Lege Iulia, est assignatus. Finitur, sicut ager Bobianus.*

4. Καὶ τῶν Σαραντῶν Φεντρίων συνοδία. Recte *Sarantes Phentrii*, qui Latinis *Pentri* sine adspiratione. Nam nec Sarantes omnes Pentri, et Frentani porro etsi ad Pentros referantur, non tamen Pentri omnes *Frentani*, quorum se auspiciis foedus hoc singulare tuebatur. *Sarantes* autem ita nuncupati a *Saro* amne, qui nunc *Sangro.*

Vocis συνοδία nulla in titulo nec vola, nec vestigium, ut aiunt. Spatium tamen in relicto positum nihil vetat, quo minus eam percommode admittat. De cerebro, inquies, hoc tuo. Fateor. Cave tamen cerebrosum dicas. Nam post oppida celebriora hactenus recensita, continenter de τοῖς συνοδίοις, idest *Conciliabulis*, iniecta mentio. Veteres per *Oppida*, *Fora*,

Conciliabula, *Pagos*, *Vicosque* habitabant. *Oppida* nuncupata, quae muris munita. Alter ab oppidis locus erat *Foris*, quae deinde consequebantur *Conciliabula*. In *Foris* coibant agrestes, nundinarum causa (1). *Conciliabula* pluribus constabant *Pagis*, ut Pagi e *Vicis* coalescebant; nam *Vici* partes *Pagorum*. Sui Conciliabulis erant Magistratus proprii, qui ius dicebant. Nec placet, quod Servius ait, fuisse *Conciliabula loca nundinationis*, *quae Praetores in Provinciis indicere solebant*. Ius quippe erat Praetoribus, nundinas in Conciliabulis indicere: sed non hoc ipso *conciliabula* fiebant, ut Servius insinuare videtur; quae iam ante erant, et dicebantur talia. Multoque minus Conciliabula cum *Nundinis* confundenda sunt, quasi si res una, eademque fuerint, solo nomine secernenda. Alioqui cum in Aere Anxiano mox referendo *Nundinarum locus datus* dicatur *Conciliabulis* quibusdam, eo nihil amplius edoceremur, quam *locum nundinarum datum fuisse Nundinis*, quod de nihilo est. Disce nunc foederis Frentani *Conciliabula* socia.

---

(1) Vid. Tab. Her. pag. 398.

5. Καὶ ταν Αυδαν, Γιρυλαν, Φισιαν. Atqui *Audus*, et *Phisius* Anxanianorum *Conciliabula* sine controversia extitere. Testem do, in quem mutire, nemini ius esto. Aes nempe Anxianorum paullo supra memoratum, quod tale est:

	L D
ANXANUM	
EMP. FRENT	NVND
L. ARIO	CONCILIAB
ET. M. GAVIO	FISIO EUSAN
COS	FELTRO ROTAE
	TILIO ET AV
	DO
	D D

Fisius itaque, atque *Audus* duo de Conciliabulis sex, quibus Decurionum Anxianensium decreto *locus nundinarum datus*. Quid ad haec Romanellius noster? De Conciliabulorum sex carcere quadrigam Virorum effudit, qui annonae praeessent. Atqui nihil hic cum IIII *viris* annonae commune. Quaenam praeterea IIIIvirum horum nomina? Nempe *Fisius*, *Eusanius*, *Feltrus Rotae Filius*, et *Audus*. Atqui in marmore est *Tilio*, non *Filio*, ut Romanellio in mentem venit, ut inde musarum

ingratiis *Feltrum* , nescias quem , extunderet , *Rotae Filium.*

Quod si *Fisius* , et *Audus* Anxianorum se produnt Conciliabula , cur non idem de *Girylli* cogitandum , quod in titulo Audum inter , et Fisium mediat? Anxianis igitur , praeter sena in aere recensita *Conciliabula*, fuit et *Girylis*, quod nunc primum scire datum. Quae ideo dico, ut ne *Girylim* Anxianorum cum *Cerili* Brettiorum confundas, quod et *Cerillam*, et *Carillam* plus vice simplici nominitatum in Itinerariis videas , alibique.

6. Καὶ *τῳν παντυταλιων* Τϱινιῳν , *και των παντον* Σεγαλῳν. Post Oppida , et Conciliabula huc usque enarrata , suus demum locus fuerat *Pagis* , *Vicisque* tribuendus , quos omnes summatim indicatos opinor sub Italorum universorum ad *Trinium* flumen accolentium nomine ; tum et *Senello* , flumini alteri , adiacentium. Longum quippe erat , singulos enumerare. *Trinii* , si Romanellium audis , unus Plinius meminit. Sed Plinio in hoc multo ante praeiverat marmor Anxianum.

Σεγαλαν. Dorice pro Σενελλων , aut Σενηλον. Fluminis nomen antiquum , quod nunc primum

didici. Hodie *Senello*, veteris vocabuli vestigiis adhuc in ore vulgi perennantibus. Ex quo intelligitur, syllabam alteram Σεναλων esse producendam. Fluminis origo ad Montis radices, qui vulgo *Morrone*, fluitque Teaten inter, et Ortoniam.

7. Ο'ι παντες Φιλοπατριδεσ ἑκατομβην ἱαραν Βυμα ετελεσαν; In prioribus nihil extra est oleae durum, si animo recolas, quae disputata superius sunt. Ad vocem Βυμα haesi dudum. Quippe nihil usquam de ea elicias, si pro voce una integra, aut integrandae initio accipias. In duo idcirco dispescui, ausus nonihil, quod nemini ἀτοπον videatur, et quod extorquere res ipsa videtur, de qua agitur. Nimirum in Βυ pro Βου, voce decurtata, quadratariorum de more, quae redintegranda in Βοῦσι *bobus*; et Μα, quae nota numeralis graecorum vulgatissima = XLI. De sigla Βυ hoc amplius. *Bovem* una initiali B non semel insinuatam videas in Fratrum Arvalium Tabulis celebratissimis. *Sacrum* ergo Frentanorum totum bobus uno supra quadragesimum constitit, quo propius ad τῆν ἑκάτομβεν accederet.

Vocem detruncatam... αν auspicatius ἑκατομ-

βαν, quam ἀρὰν, redintegrandam duximus, quod vacuo adamussim respondet, et suggerit Homerus, cui perpetuum fere, τῇ ἑκατομβῃ τῆν ἱεραν adiicere (a).

ἱερους κατα βομους
Ερδομεν ἀθανατοισι τελησσας ἑκατομβασι

Hecatombas faciebamus Diis ad aras sacras immortalibus.

Nec enim ἡ εκατομβη stricte semper stat pro numero centenario bovum immolandorum. Nec te moveat, ἑκατομβαν dorice terminari, quam ἑκατομβην dici oportebat, qui meministi paullo superius Σευαλαν dictum pro Σεηλον. Verum cum sententia satis aliunde per se certa sit, nolo per incertas Grammaticorum ambages, Scholiastarum de more, sine causa vagari. Frentanorum profecto foedus, et foederatorum multitudini par, et pro rei gravitate, periculique magnitudine, minime indignum. Et numero impari facile in *Sacro* Frentanos usos fuisse, reor, quod

(a) Il. B. v. 305.

numero Deus impare gaudet.

Nemini porro novum, foedera antiquitus hostiis praecipue caesis sanciri, consecrarique consuevisse.

Hae nunc veteratoris, nescio cuius, Ligorii de grege, technae merae? Quae si tanti starent semper molitoribus suis, et nullae uspiam extitissent insidiae tales, et nullas potshac futuras, iam nunc confidentissime denuntiarem. Atque equidem tantumne monumenti, et simplicissimae maiestatis plenum, et inauditi hactenus generis, et tanta cum priscae historiae consensione, et veterum locorum suis cum nominibus peritia, et rerum sacrarum scientia, et Dorica, non alia, usus dialecto, vir alioquin bonus, et animo concepit, et lapidi molis haud exiguae insculpendum curavit! Quod deinde diffractum in partes duas, et utroque latere imminutum, inter ruderum moles iugentes alte abdidit, composuitque, olim, nescias quando, defodiendum, inqué lucis auras erupturum! Apage nugas nugarum omnium, quotquot erunt, quotve fuere, nugacissimas! Hicque finis esto insuetae huius, pleneque liberae Legationis, etsi nulla impendiae privatae remis-

sione; quod iam nunc praesentio, nuperis quibusdam Diariorum consarcinatoribus, ipsorumque asseclis, minime probandum.

§. IV.

Suspiciones de marmoris sinceritate in medium prolatae dissipantur.

Sed quibus permoti indiciis quidam de marmoris sinceritate dubitarint, tandem aliquando prolixe rescire, datum est; quae quanti sint facienda, instituti ratio postulat, ut videamus.

Pudet in primis dicere de characterum forma novitia, quam sibi quidam videre visi sunt in tituli scriptura. Nam characterum forma et satis archaica, ut cernere potissimum est in litera Z, et Φ quadrata; et aetati plane consentanea, qua illum exculptum fuisse, evicimus; quod patet etiam ex accentuum, spirituum, punctorum, intervallorumque defectu. Piget de syntaxi commemorare, quam causantur ut minus congruam. Qui haec causantnr, aut graeci sermonis penitus ignaros se produnt, aut titulum ne legere quidem sustinuere. Nam,

qui historiae consensum in eodem desiderant, quid de his pronuntiem? Hi nempe nec illius tenorem alio intenti sunt assecuti; vel ab eiusdem aetate longis itineribus deviarunt, ad quam referri ipsum oportebat. In marmoris conditionem ipsam, sive qualitatem, ut vocant, nasum suspenderunt, hanc obiicientes aliam omnino extare a caeteris Anxanianensium marmoribus vulgatis. Sed quaenam denique haec nova marmoris species? Ipsismet fatentibus, subnigri coloris, qualis in locis finitimis, et in montibus praecipue *Roccae rasae*, passim obviat, et vulgo dicitur *Lumachella*. Idne nunc tutum monumenti falsitatis indicium? Nempe, inquiunt, quod recens id marmoris genus detectum, quod antiquis ignotum. Atqui hoc ipso et antiquis notum dicere, necesse fuerat, quos haud facile latebant, quae ipsi scire uni putamus; et tituli nativam, minime fucatam, originem confirmat. Verum enimvero eorum, qui haec in medium afferunt, nemo unus quod incredibile videtur, quid in marmore, sive genuino, sive commentitio, continetur, edocuit, quod fieri ante omnia oportebat, si aequo Iove de illo statuere fuisset institutum. Adeo omnes

hoc in genere hospites, et advenae, ut disrupti tituli membra Neapolim mitterent, inde rei omnis, iudiciique exitum pronis auribus excepturi.

Sed titulus, reponunt, iudicum urbanorum sententia, causa excidit. Quinam hi iudices? Vix unus cietur, aut alter; hique, etsi caetera docti, neque graeci sermonis scientia, neque τῶν κειμηλιων eiusmodi usu satis conspicui. Et os praeterea oblatum tale profecto non erat, quod facile adrodi dente quovis potuisset. Suis deinde intenti, de hoc minime, yel parum solliciti ἀποκριφον, ut curis liberarentur, edixerunt, idem facturi, si in Tabulas olim Heracleenses primi iucidissent.

At hercle non ita de monumento nostro sentiunt Carcanius, Pessettius, Cyrillius, VV. CC. Collegaeque mei, ut de inferioris subsellii iudicibus sileam, qui illud admirantur, atque exosculantur, et qui de illius fide dubitant, hos laevo sidere natos pronuntiant. Est enimvero in τῷ αντιγραφω ad nos perlato aliquid, in quo nonnemo haeret. Sed malo huic, marmore αυτογραφω sublato, nostrum ultra non est aliquid opis afferre.

Anxianenses autem plerosque video a marmore sibi timere, ne forte graecae se originis prodant. Nam ideo confictum ab auctore suo autumant, quo graecitatem in ipsos induceret. Atqui metus non erat talis, qui caderet in viros sapientes, quod una hirundo non facit ver. Ubinan gentium graeca non deprehenduntur vestigia aliqua? et marmor Anxaniense ea elaboratum tempestate fuerat, qua graeci in Italia id doctrinae, eruditionisque laude dudum ante erant adsequnti, quod romani armis, regnandique artibus. Nimirum Graecia capta ferum victorem ceperat, et artes agreste induxerat in Latium. Anne quod per Gallias, Germaniam, Hispaniam romani undecunque occurrunt tituli, Galli idcirco, Germani, Hispani romanae originis censendi? Quod graeca, non alia dialecto, ea occasione Anxianenses titulum inscribi curarint, praeter allatas paullo supra coniecturas, haec quoque minime praetereunda videtur, quod in causa libertatis publica Frentani Graecorum praesertim se aemulatores, imitatoresque praestitere, qui olim libertatis suae propugnatores acerrimi, et laudatissimi habiti fuere. Cuius rei argumentum certissimum videtur titulus ipse

Iovi Eleutherio inscriptus. Sed iugulum petamus.

Cur Ligoriana commenta et serio expenduntur, et iure a doctis viris exilio multantur? Quod nempe Pyrrus ille horum et artifex vaferrimus extitit, et qui eruditis fucum facere, et negotium facessere, sine controversia idoneus erat. Quid nunc tale de viro bono, quem marmoris Anxianensis opificem vulgo praedicant, quem alias novi accuratissimum in titulis quibusdam exscribendis, quorum mihi exemplaria asservantur, de lapidibus membranarum chartacearum ope expressa? Nempe is tantum non unius graeci alphabeti plane rudis, et antiquitatis non omnino novitius homo taxatur non ab iis modo, qui iure illi paullo infensiores sunt, sed a viro ipso candidissimo Paschali Liberatore, supra laudato, illique adfinitate coniuncto. Sed a technis huiusmodi minime abhorrebat vir iste, caetera bonus. Iure idcirco, reponimus, et nonnulli ei paullo infensiores, et ipsi nos non iniuria succensemus. Sed sunt sui mendacio, calumniaeque fines, de quibus criticae sanioris est, cognoscere, et statuere. At in hoc, de quo agimus, nec si maxime voluisset, illudere potuisset eruditis, atque imponere vir, omnium iudicio,

ingenio atque eruditione ad id comminiscendum idoneis destitutus. Non unum ego Mazocchium, plures etiam Martorellios, aliosque viros tales provocem, qui talia ac tanta et possint, et audeant. In genere saltem faciliore, atque usitatiore, haud novo penitus, inauditoque, artis suae periculum fecisset veterator noster!

§. V.

Variorum spicilegium.

Placet heic memorare fragmentum figulinum Aeclanense recens inventum, cuius forma rotunda cervum fugientem in medio exhibet, addita ad imum voce ΤΟΥΡΑΝ; et gemmam cum titulo: ΡΑΜΦΙΑ. Nec iniucundum fuerit, titulum afferre, facile ineditum, quod columellae lapideae inscriptum prostat in Aedibus DD. de Susanna oppidi *Zuncoli*. Columellae altitudo palmorum quatuor, diameter palmi trientes duo:

IMP. CAESAR
MAXENTIVS. P. P.
INVICTVS. AVG.
PONTIF. MAX. TRIB.
POTESTATIS. II. VIAM
HERCVLEAM. AD. PRI
STINAM. FACIEM
RESTITVIT

Conferatur cum alio titulo simili alibi (a) a nobis relato. Nota numerica II lineae quintae haud satis certa, ut inde decernere possis de certo marmoris anno. Caeterum notum cuivis, potestatem tribuniciam Maxentii ultra biennium trahi omnino non posse.

Haec inter, Amphitheatri Acclanensis reliquiae magnificentissimae subruuntur, in nihilum perpetuo abiturae. Lapidum quadratorum moles ingentes cum operibus inferne reticulatis, superne lateritiis, elegantissimis, ianuaeque australis pedaturae vestigia, una mecum et vidit, et admiratus nuper est V. C. rerumque eiusmodi iudex consultissimus, Nicolaus Sanctangelus, Provinciae Dauniae Rector bene

(a) *Alcuni Monumenti antichi eclanesi spiegati.*

merentissimus. Coronidis demum loco inserviat Commentario huic titulus aeclanensis votivus e cippo lapideo per me descripto, qui prostat ruri prope nemus ad Aediculam S. Petri, ubi olim deposita Beati Prisci sacra lipsana. Titulus est huiusmodi.

I. O. M.
CANONIA. CA. L. HILARA
PRO. SE. ET. SVIS
V. S. L. M

Evidens est, votum solutum a *Canonia Hilara*, *Canoniae Liberta*; nam si viri illa Liberta extitisset, viri huius praenomen merum cieri oportuisset, nomine omisso. De gente *Cannonia* cuiusdam *Statutae* meminit Gruterus (1). An *Cannonia* haec recudenda in *Canoniam*, nempe cum simplici *e*, non geminata? Mihi utraque pro gente una est. Finem denique faciat marmor aliud Aeclanense nunc primum per nos inspectum apud Pratillium:

(1) Pag. 895 n. 12.

P. CLAVDIUS. P. L

O VALENTINVS S

H ET S

M. CLAVDIVS

FRATER

Ad finem properanti marmor graecum, Rhègii effossum, visendum obiicitur ab Equite ornatissimo, eruditissimoque, Nicolao Santangelo, quod ita decurrit:

ΣΕΚΟΥΝΔΙΩΝ ΜΕ
ΤΑΤΗΣΦΗΛΙΚΛΑΣ
ΚΑΙΤΗΣΛΕΩΝΤΙ
ΔΟΣΤΥΓΑΤΡΟΣ
ΓΛΥΚΥΤΑΤΗΣ.ΕΙ
ΤΙΣΕΠΑΝΟΘΕΛΝ
ΣΙΤΕΘΗΝΑΙΛΟ
ΓΟΝΑΠΟΔΟΣΙΕΙΣ
ΤΟΜΕΛΛΟΝ

Divido sic: Σεκουνδιων με-τα της Φηλικλας-και της Λεωντι-δος τυγατρος -γλυκυτατης. Ει - τισ επ' αν ὁ θελη-σι τεθηναι, λο-γον αποδοσι εις - το μελλον.

Notandus ad finem lin. 6 nexus characterum λ, et η. Vocem porro ipsam θελησι puto pro θελησει scalptam, ut ad lin. penult. αποδοσι

pro αποδωσει. Forma sigmatum lunata. Lunata item E cum lineola in medio ; quae inter festinandum non licuit typis repraesentare. Ita nunc reddiderim:

Secundio cum
Felicula ,
et Leontide ,
Filia
Dulcissima. Si
Quis postea huc prae-
sumpserit inferri , ra-
tionem reddet in
futurum.

Ex quibus verbis posterioribus sollicitudo apparet Secundionis cum Felicula uxore, et Leontide filia, ne quis in suum sepulcrum post inferatur , poenamque *in futurum* imprecatur. At quaenam huiusmodi poena? non equidem illi similis , qua certa pecuniae summa violatoribus imponitur , arcae , aut alibi , inferenda. Anne hoc solis *ingenuis* permissum, cum servilem prorsus conditionem prae se ferat *Secundio* cum familia sua? Verum hoc in casu poenae comminatio nihil dicit. Ecqueis enim Diis , aut hominibus *ratio haec reddenda*

in futurum? Illud veri similius, familiam hanc, servilem licet, christiano fuisse nomine insignitam, hacque de causa ab uno vero Deo *in futurum* exposci poenam, si quis sepulcrum alieni cadaveris illatione post violaverit. Quae tamen omnia caute insinuata ad ethnicae superstitionis invidiam cum persecutionis periculo declinandam. Quo fortasse factum, ut nulla in marmore, alias christiano, τὰ Christianorum σημάτα consueta insculpi, curae fuerit. Sed marmor superne mutilum, qua parte facile haec olim exarata prostabant.

AD LECTOREM.

Semperne aliena negotia cures ?

ID vero ne mihi iure obtrudas , ecce tibi Inscriptiones nonnullas de penu propria depromptas , ut si quid veterum monumentorum usu assiduo ipsi imitando per occasionem profecimus , experiare. Iudicium liberum cuique sine noxa erit , quandoquidem a nemine nec laudes aucupari , nec deprecari invidiam , est animus. Vale.

INSCRIPTIONES

I.

Virgini Deiparae, Civitae nuncupatae,
Templum
A vertice montis praerupto
Campanum hinc agrum,
Paludes inde Pomptinas prospectans,
A Franc. Bonomio Ep. Caiet. consecratum
an. 1824.
Cui additum Xenodochium commodo peregrin.
At
Quod vetustate utrumque fatisceret,
Advenarumq. frequentiae impar esset,
Hoc ampliato,
Illud a solo excitatum spatiis laxioribus
Elegantius exornarunt
Cives Itrani,
Stipe conl. Fidelium Cur. Ioh. de Simone
Anno. MDCCCXV.

II.

Abdita Hypogaei,
Ex insperato in lucem reddita,
Conlegium Sacerdot. Molanorum
Crucis sacrosanctae ligno admirabili
Locupletavit.

III.

Templo novis iactis fundamentis
Ad palm. usque XLVII ante solidato:
Sacrarium deinde
Vetustate collabens, mole angustum, forma
Squalens
A solo excitavit, ampliavit, ornavit
Sumptu suo,
Altari addito marmoreo,
Quod sacrae Familiae dicavit
Ioh. Angelus a Porta Ep. Thermopilar.
Magnus Proprior Ord. Constantinian.
Ex Ordine Capucinor.
Abbas Loci.

IV.

Aedis huius structura,
Positis olim fundamentis
Cum tholo, ambituq. exteriori;
Post
Infelicitate temporum
Per annos plurimos intermissa;
Nunc
Aris, septoque marmoreis, picturis,
Omni ornatus opere absoluta
Curis praecipuis
D. Mariae Crucifixae Patulliae
Loci Abbatiss.
Carolo Puoti Ep. Allifar. et Telesin.
An. rep. sal. MDCCCXXX.

V.

Aedem ab origine Episcopalem,
Deinde
Militum hospitio corruptam,
Ferdin. I. utriusq. Sicil Rex
Pro pietate, munificentiaq. sua
Restitutam, auctam, ornatam
Archiep. Teatino
Adsignavit.

VI.

Turrim,
Aeris campani tinnitu
Fideles ad conventus sacros
Sodalitii Montis mortuorum
Excitaturam,
Ioh. Granata, Prior Sodalitii
Sua, Conlegarum, et bonorum
Stipe.
An. Aer. vulg. MDCCCXXVI.

VII.

Bono iuventutis ecclesiasticae,
Quam
Ad vitae suae partem maximam
Prudenter rexit, fovit amantissime,
Ianuarius Carusius, Can. Eccl. Arian.
Philosophic. mathematicisq. disciplin. illustris:
Ad haec
Morum candore, sanctimonia vitae
Probatissimus,
Amoris perpetui pignus extremum.

VIII.

Francisco I. Borbonio, Siciliar. Regi.
Quod
Aed. sacram Congregat. Montis Vergiliani
Temporum iniquitate abolitae,
Et a Ferd. I. restitutae an. 1815. *cum*
Episcopali addita iurisdictione,
Iure. postliminii,
Venerabundus adivit
An. 1826. *die Aug.* 29.
Cum Elisabetha Coniuge Augusta,
Suboleq. beatissima,
Seque cum familia universa
Sacro cooptatum voluit Sodalitio.
Raymumdus Morales, Abb. Gen. Congregat.
Ne temporum fato rerum memoria
Deleretur,
Quantum humana patiuntur, cavend. cur.
An.MDCCCXXVI,

IX.

Francisco. Borbonio Regi Siciliar.
Qui
Montem Aedis Vergilianae
Mane conscensurus cum Domo Aug.
Nocturno primum ; inde repedans,
Diurno, nocturnoq. hospitio laetissime
Exceptus,
Hospites sibi addictissimos
Complexus amantissime,
Maiestatis facilitate
Beavit.
Inter haec:
Lustrato Archivio Lauretano,
Iam tum ab an. 1818. *restituto,*
Ferdin. I. Diplomate.
Raym. Morales Ab. Gen. Congregat.
Cum Coenobitar. familia
Libens merito
An. MDCCCXXVI.

X.

Ferdinando I. Reg. utriusq. Sic.
Quod viam Samniticam
De pristino cursu ad Oppid. nostrum
Tramite aequiore , tutiore ,
Direxit:
Et aquarum conceptionibus
Ad iusti fontis formam coactis iterum ,
Civibus , incolis , accolis , advenis
Auctam praestitit.
Ordo. Populusq. Guardiae Sanframundi
Cur. agente Rectore Prov.

XI.

Agrum ante salsum ,
Detersa silvarum luxuria ,
Vitibus , arborib. genus omne pomiferis ,
Vere colonum factum ,
Cellis vinariis, Columbariis, Moletrinis
Instructum ,
Antonius Laurent. F. Casazza
Impendiis suis.

XII.

Aquarum scaturigines
Diffluentes
In agri perniciem,
Intra fontis ambitum
Coactas
Ant. L. Fil. Casazza de pec. s. d.

XIII.

1.

Sera malorum pausa.
Diaeta,
In qua lacrumas inter, amplexusq.
Patrum Coenobii huius,
Torquatus, Bernardi Fil. Tassus,
Fato concessit VII. K. Maii MDXCV.

2.

Eiusdem ἐκτυπον.
Olim
De calescente adhuc vultu
Viri denati expressum,
Cristallo affabre conclusum

XIV.

A ☧ Ω

Annae Mariae Mazziottae,
Dotibus corporis, intra sexum femineum;
Animi, ultra virilem.
V. A. XX. Fato functa Kal. Apr. 1825.
Vir infeliciss. Uxori incomparab.
De qua nihil
Praeter mortem doluit,
Pon. cur.

XV.

L. Andreas, Crispini, F. Martinius,
Domo Felino.
Medicinam professus,
Opportuna corporibus artis praesidia;
Opportuniora moribus aegris
Vitae praebuit exemplo.
Loquendi parcus,
Bene agendi sollicitus,
A muneribus publ.
Ab hominibus prudenter cavit.
Dep. an. 1826. *Prid. Non. Sextil.*
Annos nat. 78. *M.* 2 *D.* 19.
Patriae, Viciniaeque lacrumis,
Decoratus.

XVI.

1.

In funere Fabritii Ruffi
Diac. Card. S. R. Eccl.

2.

Ad valvas templi
Parentalia
Fabritio Ruffo,
S. R. E. Diac. Card.
Vincentius Princ. S. Anthimi Ruffus,
Patrui magni meritorum in se
Non sine lacrumis memor

3.

Ad verticem tumuli.
In pace
Fabritius Licteri Duc. Baranelli F. Ruffus.
Matre Iustiniana Columna e Duc. Spinosi.
Romae nutritus.
A Pio VI. P. M. Praep. thes. publ. Praef. Aquar.
Praef. Paludib. Pomptin. Clanisq.
Praep. Curatorib. Annonae;
Prior Magnus Eqq. Hierosolymit.
Prior Eqq. Constantinian.
Diac. Card. Tit. S. Mariae in Via Lata,
Familiae sacr. D. Franc. de Paula Protector
Adsignatus.

4.

Ad latus tumuli dexterius.
A Rege Ferd. *I*
Cui cariss.
Per vitae fortunaeq. vices omnes
Addictissimus.
Casertae Praep. a cura
Regalium Deliciar. Artiumq.

5.

Ad latus sinisterius.
Nec minus et belli studio,
Fatis urgentibus, actus,
Abs Rege absente
Regno Praep. an. 1799. *cum vicaria potest.*
Viribus modicis,
Virtute summa, prudentiaq.
Citra spem,
Non ultra tacita bonorum vota,
Regnum Regi suo
Vindicavit.

6.

A parte postica dexteriore.
Ministerio pro Rege suo
Cum plenar. potest. Romae functus
Apud Pont Max.
Dein
Neapolim reversus an. 1804.
Fortunamq. Regis secutus,
Bonor. publicatione multatus.
Inter haec
Legatus a Pio VII. pro Eccl. negotiis
Parisios proficiscitur.

7.

Sinistrorsum.
Pace demum orbi ecclesiaeq.
Restituta,
Neap. a Rege sui amantiss.
Arcessitus an. 1821.
Adlect. Min. a Consil. sanctiorib.
In pace quievit
An. 1827. *Id. Dec.*

V. A. 83. *Men.* 2. *D.* 27.
Quoi sic ornari sic vivere contigit, olli
Sat bene. Quam satius, sic potuisse mori!

XVII.

Pro Funere
Ferdin. I

1.

Ad. dext.

A X Ω

Ferdin. I
Reg. Utriusq. Sicil.

2

Ad laevam

In futurae anastasis
Expectationem.

3.

Ad partem postic.

Per secunda, per et adversa,
Suprema omnia,
Utrique par fortunae.
Vix. an. 74. regnav. an. 65.
O spes hominum fallaces!
Viridi adhuc, integraq. senecta
Raptus ex inopinato
IV. Non Ian. 1825. Dep. prid. id. Ian.

4.

Manent sua funera Reges!
Discite, mortales:
Mors imminet omnibus,
Ima summis aequans.
Si bene quis servit, bene regnat. Non bene Regi,
Hac datur excepta conditione, mori.

XVIIII.

In funere Ioh. Danerii.

1.

Ad valvas Eccl.
Pius accedito mente pia.
Funus publicum
Iohannis Danerii.
Iussu
Francisci I.
Regni utriusq. Sic. et Hierus.
Regis.
An. 1826.

2.

Ad Templi valvas.
Adeste boni. Vestra res agitur.
Occidit ille,
Nulli flebilior, quam vobis.

3.

In fronte Cenotaphii.

Paci, memoriaeq. aeternae
Iohannis, Ioh. Bapt. Fil. Daneri. Domo Gadib.
Militavit ultro in Class. Philip. V. Reg.
Hispaniar.
Impigramq. ei in Orani expugnatione
Operam navavit.
Maritimo inde itinere Neapolim vectus,
cum Carolo III.
Navali militiae primum sub eodem; deinde
sub Ferd. I.
Postremo sub Franc. I. Siciliar. Regibus,
Fide singulari,
Sine intermissione addictus.
Quod Siciliam contra hostium incursus
tutam praestitit,
A Valliae Princ. strenuiss. tunc temporis
Angl. Regni
Rectore, nunc Rege potentiss.
Ense aureo donatus an. 1813. *Adlectus inter*
Eqq. S. Ianuar.
Ornatus torquib. aureis Divor. Ferdinandi, et

Georgii,
itemq. Caroli III.
Praef. Class. utriusq. Sicil.
Obiit an. natus CI. M. III. D. XII. Non.
Ian. 1826.
Elatus luctu publico, impendiis Reg.

4.

Ad basim Pyramid. dext.
VIII. K. Oct. MDCCXXIIII.
Haec prima dies
Mortalem edidit.

5.

Ad basim Pyram. laevae.
Non. Ian. MDCCCXXV.
Haec prima dies
Immortalibus addidit.

6.

A parte Templi dexteriori.
Consentiae praefuit, Calabrosq. Vlteriores
Terraemotibus diu labefactat. mirifice iuvit.
Messanam iterato gubernavit,
Annonaeq. penuria extrema laboranti,
Supellectili sua argentea divendita,

Quam potuit, opem tulit.
Vir animi incomparab. simplex, prudens, fortis:
Veri sine fuco, aequi sine ullius respectu,
Religionis tenacissimus.
Si nihil extaret tristi hoc iucundius aevo
Sperandum, aeternum hic vivere debuerat!

7.

A parte Templi eadem.

Qui cum ditescere honeste potuisset,
Sua in pauperes omnia erogavit;
Qui heredi nil, praeter honor. hereditarium,
Test. reliquit;
Hic regni caelorum hereditatem
Iure adito.

8.

A parte Templi sinister.

Dormi, sancte Senex! Non te Mors obruit. Illa
Dulce fatiscentem sed mage consequitur.
Nec quod plenus abis annorum, desinat usquam
Hinc desiderium perpetuum esse tui.
Huic,
Quotquot adestis,
Locum refrigerii, lucis, et pacis
Adprecaminor.

9.

A parte Templi cad[illegible]

Quattuor en Reges firmo tibi pectore semper,
Immotaque fide, sat coluisse datum est.
Nil umquam de te terni doluere, Daneri,
Ex vero doluit quos cecidisse tibi.
Nec de te quartus doluit quid, praeter id unum,
Quod fato demum cedis et ipse tuo.

10.

Sub Viri effigie

Iohannes Danerius. V. an.

CI. *M.* III. *Dies.* XII.

Annos quid numeras? Animum magis
aspice. Dices:
Hic sibi sat, nobis vixit at ipse parum.

Monitum.

Pro concione laudavit Emmanuel Taddejus: Elogiorum funebrium partes Auctori; apparationis funerariae partes Dominico Uccinellio impositae.

XVIIII.

Iosepho, Vincentii F. Ravizzae. I. V. D.

Domo Teate,

Causar. civil. Prov. Teatinae Proc. Generali:

Prov. eiusd. per omnes tempor. vicissitudin.

A secretis.
Viro prudentia , modestiaque singulari ,
Poesis cultori assiduo ,
Patriae , suorumq. amantissimo.
Dec. X. K. Iul. MDCCCXXVIII. An. n. 66.
Ianuarius Ravizza. F. P.
Te Fratrem flevi Frater : te flevero. Fratris
Nec doleo mortem , discidium doleo.
Te sequar idcirco : spes haec solatur amantem.
At sequar accitus , ne mihi spes pereat.

XX.

Ioh. Casazza. Nat. Sannazarii. Obiit Neap.
Die. Mai. 1831. *Vix. an.* 50.
Ingenio fervens , leges et iura professus ,
Pugnavi , vici , iure , labore , fide.
Cur fucata , virum uxori , natisque parentem ,
Cur immaturum , mors inopina , rapis ?

XXI.

FRANCISCO. BORBONIO
SICIL. REGI. P. F. A.
Ἐν τῇ αὐτοῦ ἡμέρᾳ ὀνομαστικῇ.
VOTA.

Praedixi, Ursini TE *olim Chironis alumnum*(1),
Aeaciden bello, Nestora et arte fore
Regni victurum, FRANCISCE. *En verus haruspex.*
Utrumque implesti: votaque res superant.
Quid tibi nunc optem, tua dum, FRANCISCE, *recurrunt*
Annua de magnis omina nominibus?
Nil tibi, parce, precor. TIBI *nil opus amplius. Annos*,
Optandum NOBIS, *Nestoris ut superes.*

---

(1) De Rege nostro amantissimo, cum adhuc sub Graviuatium Ducis curis ageret, haec olim ominati fuimus Eleg. 2. p. 60. Poem. Var.

Thessalus a teneris Chiron educit Achillem,
Unde stat Haemonii fama superba soli.
Non tamen externam metuat, te sospite, famam
Tellus nostra. Uni vix litet illa Jovi.
Nam te cum tener altorem Franciscus honoret,
Deque tuo assiduus pendeat ore puer;
Borbonidum regale genus, cui numina magni
Imperium asservant Partenopaea Patris;
Ille vel audacem bello prostrarit Achillem,
Nestora vel regni vicerit arte puer.

XXII.

I.

PRO. REDITV FERDIN. II. REG.
VTRIVSQ. SICIL.

Non hic Alexander redux,
Indorum spoliis, et caede superbus,
Qui nec felix idcirco,
Quod orbem integrum unum nondum
Sibi armis subegisset.
Hic Ferdin. II. Rex noster,
Qui
De suis ad suos, suorum in medio,
Rediens,
Omnium animos comitate, iustitia,
Prudentia, liberalitate sibi devinctos,
In regios Lares avitos traducit.
Ordo, Populusq. Mirabellan. qui olim
Aeclanens.
Ad d. XII. Kal. Iunii MDCCC.

XXIII.

I.

FERDINANDI. II
REGNI. VTRIVSQVE. SICILIAE
HABENAS. CAPESSENTIS
PROGRAMMA

Prima Dei cura esto, Patrum de more, colendi,
Qui, quibus ipse velit, regna dat, atque adimit.
Iustitiae stet honos. Sint propugnacula Leges
Imperii. Quisquis Legibus inferior.
Non est par humeris, qua plebs miseranda gravatur,
Sarcina, et est oneris pars minuenda sua.
Pura fides, et sanctus honos, tibi credita, Miles;
Nec mage nostra armis, quam tua res agitur.
De caelo verba ista sonant. Quis rettulit? alter,
Qui modo Fernandus, sceptra paterna capit.
Demissum caelo sidus, Rex optime Regum,
Salve.. O spes populi certa, salusque tui!
Haec concepta Pater, quem defles, vota fovebat;
Magnus et haec animo vota fovebat Avus.
Invida sed votis mors obstitit! et fuit illa
Poena quidem nostrae debita stultitiae.
Nunc poenae sat. Maiorum tu perfice vota.
Qui dedit, ut cupias, et dabit, ut facias.
Nestoreamque dabit vitam, prolemque beatam,
Quo maior nemo te Patre, Rege, *siet.*

2.

AD EVMDEM.

Quandoquidem nostris addenda et funera Regum,
Et stata sub caelo est meta cuique sua;
Ut Fernandus Avi, et Patris nunc funera pensat,
Pensentur Regum funera perpetuo.

3.

AD EVMDEM.

Dulce, suos inter digito monstrarier: Hic Rex.
Qui tamen hoc tanto nomine dignus, ubi est?
Scilicet est Regis, sibimet non parcere, ut illis
Parcat, quos miseros non sua culpa facit.
Est Regis, proprio, haud alieno lumine, nosse,
Quid sibi, quidve suis obsit, et expediat.
Haec praestas, Fernande, tuae sub flore iuventae,
Vixque oculis credit, qui videt, ipse suis.
Et caeli munus Regem, iuvenemque *fatetur,*
Qui populi semper credita pernicies.

XXIIII.

I.

MEMORIAE.
FRANC. XAV. GVALTERI
EP. CASERT. SANCTISSIMI
DOCTRINA. ERVDITIONE. MODESTIA
INCOMPARAB.
RAYMVNDVS. GVARINIVS
SERVS. AT. CITRA. CVLPAM. TAMEN
ADMIRATOR.

Cur Te, quantus eras, sapientum norma, decusque
Pontificum, non ante mihi novisse dederunt
Di, quam te tua mi ignaro maturrima fata (a),
Gualteri, abstulerunt? Dolet id, porroque dolebit!
Quantum ex te profecissem, quem non cohibessent
Nec labor, aut iter, aut demum dispendia quaevis,
De facie ut colerem sancte, noctuque diuque?
Sed Tu quantus eras, quis, ni post funera, nosset,
Qui tanto et studio, et cura celare solebas,

(a) Obiit nonagenario maior.

Quas tibi mos fuerat peregrinas condere gazas
A puero, inque dies, horasque augere, legendi,
Scribendi assiduus, quanto vanissima turba
Doctorum sua in apricum proferre laborat,
Quo captet plausus et lucri, et laudis avara?
Et quamvis doleant haec, et mihi porro dolebunt,
Hoc tamen, hoc urit mage: me nunc post tua fata.
Rescisse, et quanti faceres me tu bonus ultro,
Et quanti immeritum, notum vix nomine, amares,
Quo melius quidnam a meliore vir optumus optet?
Sancte senex, fatear, parcas atque, oro, fatenti:
Iam placeo ipse mhi. Ecquis enim, te iudice dextro,
Quis sibi non placeat? Quare tanto mihi ademptum
Te doleam posthac, quanto dein mi ipse placebo,
Quem facere, heu! tanti vivens, et amare solebas.

Salve, sancte senex: cineres, salvete beati,
Et florum vice, sint lacrimarum haec munera grata,
Quas amor ex oculis excit moerentis amici.

2.

Ad Emin. Ruffum Archiep. Neap.
Foetura, utinam heu! vitalis.
Nī eminentissim. lustrata oculis;
Nī obstetriciis contrectata manibus;
In lucem ne prodīto,
Apollinis Decr.
Numinis dicto audiens
R. G.

XXV.

In quemdam pileo superbientem.
Totus es in pileo, floccorum murice turgens.
Ergo te flocci, pro pileo, faciam.

XXVI.

BRVNONI. AB. AMANTEA
ET
DOMINICO. COTVNNO. ARCHIATR.
PARENTALIA

Invida si prope vos mihi suspexisse, dedissen
Fata, virosque olim noscere de facie;
Vobiscum ut nostrae modico vel tempore vitae
Conseruissem ultro verba, citroque semel:
Nectareo carpsem quidquam fortassis ab ore,
Quod nunc afferrem Manibus inferias.
Non equidem inferias heroum Manibus aptas,
Quales pro merito, si daret ingenium;
Sed quales aequi facerent, qui denique norunt,
Exili quantum in corpore sit tenuis
Mens animi mihi. Deserto nunc omnibus, atque
Plane externato, quid superest reliquum?
Ereptasne animas dicam de faucibus Orci,
Quas et quis referat, quisve referre, queat?
Funus ut amborum, pro funere totius Urbis,
Iam tum constiterit. Tam grave cordolium
Perculsit cunctorum animos, quibus altera, nuper,
Brunone extincto, fax quoque praeeripitur!
O Bruno! et nunc Brunoni addite, docte Cotunne,
Salvete. O nostri spesque, decusque soli!
O gemini medicinae oculi, et mens, et manus! O par!
Ecquando, vel ubi, par aliud simile?

Queis sese natura ultro patefecerit omnis,
Quaeque alios lateant, cernere posse, dedit.
Quaeque hi desperent tractata valescere posse,
Secura tacitus tractet uterque manu.
Ollis adsurgunt adeo Germanus, Hiberus,
Adsurgit Batavus, quique Pado lavitur;
Aut Ararim, Thamesimque bibit, Riphaea vel antra
Incolit, e nostro dissitus Orbe, Scytha.
Miratique novas artes, miracula rerum,
Ex vero ambobus numen inesse, putant.
At vos maior adhuc, nec fallor, fama, manebit,
Quae dabit a summis proxime abesse Diis.
Pura fides, pietasque Virum, sine crimine mores,
Plenaeque exundans pectus amicitiae:
Qua non una aegris dubiae spes certa salutis,
Sed paupertati praesidium omne stetit.
Nec natos vel uterque Parens impensius usquam
Curet, quaque potest, arte iuvare, iuvet;
De vultu ut vestro, quo quisquis maxime egebat,
Pendebat certus, caetera nil trepidus.
Sed me quo venti rapiunt? Heic colligo vela,
Pro pelago tali tenüia vela satis.

Stent haec certa viris. Quereris vulgaria? produnt
Sed tamen e nostris irrigua illa genis.

XXVII.

BRVNONI. AB. AMANTEA

Si tibi de nostro nunc nomine, Bruno, litandum,
Suppeterent nullae pro merito inferiae:
Sed lacrumas Urbis, desideriumque perenne,
Accipe de nostra munera digna manu.
Tu Chirurgorum Princeps, tu vivere semper,
Aut nasci numquam, Maxime, debueras.
Sed bene egenorum Pater ad caeli ardua transit,
Maturaturus firmius auxilium.

XXVIII.

DOMINICO. COTVNNO ARCHIATRO. NOBILISS.

Pro vitae penso, sat. Sat, pro foenere vitae,
Munera stant famae digna, Cotunne, tuae.
Sed vitae mecum recolens incommoda, dicam:
Hora tibi, aut brevior hac quoque, vita fuit.

XXIX.

SECVRIT. MEMORIAEQ. AETERN.
OCTAVI. BENED. F. CLARITIAE
DOMO. SAEPIN.
S. TH. M. EX. ORD. PRAED.
S. MARCI. CAV. PRIOR. PROV. III.
DEP. D. XVI. K. MART. MDCCCXXII

Vidit et integrum me nonagesima messis.
Tertia surgebat. Non datur ulterius.
Si numeres annos, vitae si praemia spectes;
Illorum satis, haec nulla fuere mihi.
Dum vixi, vixi. Viventem corripuit Mors.
Cumque libris moriens vivo, loquorque meis.

XXX.

MONILE S. MARIAE. AB. ARCV. FVRTO
ABLATVM
PIETATE. PVBLICA
RESTITVTVM

Impia per tenebras quod dextera surpuit, ecce
Virgo, tibi pietas publica restituit.

XXXI.

EXVLIBVS. ARMENIIS
PRO. FIDE. CATHOLICA
AN. REP. S. MDCCCXXVIII
STRENVE. DEFVNCTIS

Salvete, o decus Armeniae. O pars addita nuper,
Sanguine qui Christum sustinuere, choris!
Vos procul extorres egit, rerum omnium egenos,
Turcarum rabies, qua nihil horridius.
Nec domibus contenta unis arcere paternis,
Exulibus vitae praesidium omne rapit.
Hinc fessi rerum, functique laboribus, unâ
Per medios hostes mortis aditis iter.
Barbarus haec vidit: sicco neque lumine vidit,
Quo nolens crimen fassus et ipse suum est.
Hoc tamen ille putat misereri. Falleris eheu!
Quin, amens, potius iam miserere tui.
Nonne vides, quantus tibi, qualis et instat ab Arcto
Nunc labor? o equitum quae, peditumque manus!
Quos praeit ipse suos, arcumque tetendit ab alto
Omnipotens... Quo, quo tegmine tutus eris?
Venit summa dies, et ineluctabile tempus.
Te, te iam Lunae cornua deficient.
Sintque tuae tecum Dirae: te non morer ultra;
Armenios repetam sed magis ipse Viros.

Nec multis porro mihi gaudia vestra moranda,
Anxia quos Caeli Curia tota manet.
Montibus in vestris, quis nesciat? Arca resedit,
Qua nostri clausae relliquiae generis.
Quid mirum, Fidei labentis castra tueri
Tam bene Martyribus si datur Armeniis?
Pars vestrae id laudis: superat pars altera maior:
Vos prece non dubia sollicitare Deum;
Ut, foedo a nostris pulso cervicibus hoste,
Unum Pastori fiat ovile suo.

XXXII.

GALLVS. INDICVS. DELATVS
DOMINICO. DE. HIERONYMO
II. CVRIAE. NEAPOLIT. A. CRIMINIB.
PRO. PRAESIDE
R. G.

Hic reus est mortis. Sed mortem indicere sonti,
Me sancti prohibent iura ministerii.
Defertur tibi, cui Nemesis sunt iura tributa,
In quem lunatam literulam iacias.
Ne desim officio ipse meo, post funera condi
Damnatum, sine me, ne sine, sarcophago.

DIS. ABDOMINALIB.
GALLO. NAT. INDICO
TIT. PON. CVR. R. G.

Ut licuit, titulum tibi ponimus, Indice Galle.
Tu modo sarcophago ne gravis esto tuo.

2.

Ad eumdem in causa simili.

Indicus iste bipes tibi sistitur. Alter ab illo,
Quem damnasti unus, condidimusque simul.
Si pectus tumidum, si colla rubentia spectes,
Illius iste nepos, filius anne magis?
Sit quicumque. Miser fatis urgetur iisdem,
Hortorum pestis, perniciesque satis.
Macte igitur, partes, qui mos tibi, iudicis imple:
Implebo partes impiger ipse meas.

XXXIII.

MICHAEL. VRSVS
ARGIA. DVCE
HERCVLAN. ITER. INSTITVIT
PHOEBI. MONITV

Quo Labirynthum adeat, nullo discrimine vitae,
Fida olim Theseo filum Ariadna dedit.
Tutius Herculeae latebras nunc permeat Urbis
Ursus, ab Argia ductus et ipse sua.

Illa manu , illa oculis , rimanti cuncta retexit ,
Quae deceant Vatem,quod decet Historicum.
Clarior hinc Ursi nitet inter fama Sodales ,
Qui Mergellinen , Pausilypumque colunt.
Gratulor , Urse , tibi duce tali ! gratulor idem ,
Pulcra Argia , tibi ! sed caveas , moneo.
Misceri caelum cupit Ursus turbine , quali
Didoni quondam , Dardanioque viro.
Non Venus hic ulla hortatrix , non pronuba Iuno :
Saevus at horrendum Mulciber ecce tonat.

XXXIV.

NICOLAO. ZINGARELLIO
A. MOD. MVSICIS
PRO. DIE. S. PARASC. A. MDCCCXXVII

Numina flevissent , possent si numina flere ,
Flebilibus numeris , o Nicolae , tuis.
Nam tu non aures tantum mulcere peritus ,
Pectoris humani sensa vel ima petis.
Flevimus ast ipsi , flentes et regna beata
Ecce videbamur iam tenuisse Deûm.
Cur non ista furens audît Iudaeus ? an anceps
Haesisset certae iam pietatis opus ?

XXXV.

Accepit eum Simeon in ulnas suas. *Luc. Cap. II.*
RRO. LONGAEVITATE
ALOYSII. RVFFI. CARD. ET. ARCHIEP.
NEAP.
VOTA

Fortunate Senex! quem nunc complecteris ulnis?
Pectore quem trepidans terque quaterque premis?
Ut ros in gramen, per canas lacruma manat
Crebra genas, haerent et labra fixa labris.
Ultra et quid videam, clamas? quidve amplius optem?
In pace ut moriar, da modo, sancte Puer.
Sancte senex, parce! Eripiunt tot gaudia mentem.
Vitam complexus, qui potis, ut pereas?
Vive igitur. Quamquam, post haec spectacula rerum,
Vitae huius fluxae sit grave, quod superest.
VEL. MAGE. QVOD. VITAE. PIGET. HOC
SVPERADDITOR
ANNIS
PONTIFICIS. NOSTRI. PVRPVREIQ. SENIS

XXXVI.

Sub Divi Iosephi effigie.

Et erat subditus illis.

Terra Deum colit; astra colunt. Sanctissime Ioseph,
Quem colis ipse Deum, te colit ipse Deus.

XXXVII.

Gemma III. viralis corpus unum referens cum capite triplici, et brachiis sex.

Unum Corpus: *et id recte. Sex* Brachia: *laudo.*
Quid Caput *huic triplex? Ne mora: tolle duo.*
Regnum Corpus *erit, cuius sint* Brachia *vires:*
Unius ergo unum Corporis *esto* Caput.

XXVIII.

Ut vidit allatum ad se caput Pompei, collacrimavit. *Xiphilin. ex Dion.*

Quid, MAGNO *extincto, lacrimaris denique, Caesar,*
Quem quo conficias, impiger insequeris?
Sed lacrumas tamen haud credam procedere fictas,
Quas dolor expressit non sine laetitia.
Extinctum gaudes: alieno at vulnere lapsum,
Non placuit, poterat qui cecidisse tuo.

XXXIX.

Xerses novis inhians voluptatibus ab Artabano opprimitur.

Si cui, siqua voluptatum nova forma reperta,
Et laudes, inquit, munera et accipiet.
Nil clades Salaminae homini didicisse dederunt,
Nil ad Thermopilas et didicisse, datum.
Aptior hunc regno, vitaque carere docebit
Praeceptor. Distat nec procul a foribus.

XXXX.

De inepto Libello iudicium.

Dicens multa nihil dicis; vel talia dicis,
Quae si quis nescit, scire quid iste queat?
Haeres in parvis trepidans, dum magna minaris:
Sed magni interea nil, nisi verba, refers.
Implesti latrans totas indagine silvas.
Aprum credebam: vix tibi capta culex.

XXXXI.

Livor se ipso abit in nihilum.

Allegoria.

Unde vapor, quaeris, qui nostras inficit auras:
Scilicet erumpens triste Mephitis olet.

Quid petit hic? Orbi radios subducere Phoebi.
Quid Phoebus? transit. Quid vapor? aura, nihil.

XXXXII.

Temporum invidia.

Vix lauri baccas, modicae vix frondis honorem
Parnassi colles suppeditare solent.
Nempe soli id vitium, abruptis quod cautibus haerens
Detrectat fruges vomeris impatiens.
Monticolae at baccas, et frondis surpere honores,
Hoc hominum, hoc nostri temporis est vitium.

XXXXIII.

Temporum iniquitas.

Pantolabus perpauca serens metit undique multa.
Multa serit Bassus: nil tamen inde metit.
Uno nec numero Bassi sata crede praeire;
Sed praeeunt longe conditione magis.
Nil meritae fruges. Caeli natura, solique
Et nocet una bonis, et favet una malis.
Desine mirari. Non cuivis omnia posse,
Sorte datum. Serit hic: alter et inde metit.

XXXXIV.

Vituperari satius, quam laudari a mendacibus.

Laudantem Bassus scurram fastidit, et odit:
Idem latrantem sustinet, atque fovet.
Quae Bassi mens, cupidi scrutantur amici?
Mentiri, est illi vivere, Bassus ait.

XXXXV.

Amici venales.

Multos imprudens Eunus numerabat amicos:
In partes alias alter, et alter abit.
Quid mirum? Secli vitio venduntur amici,
Sanctaque pro lucro venit amicitia.
Si quid pensi igitur tales habeantur amici,
Spe pluris facta, ne mora, tutus emes.

XXXXVI.

Bovii funus.

Effertur Bovius. Vespillonum addita ternae,
Pondere sub feretri biga quaterna gemit.
Occurrit Labeo; vacuique, exclamat, in urbe
Heu! quantum posthac! dilaniatque genas.
Quantum cum Bove vix Asinus, respondet Anoptes,
Complerit. Labeo, desine plura queri.
Mole ingens animam Bovius, salis instar, habebat,
Vir fortasse bonus, caetera truncus iners.

XXXXVII.

Famulae tristes.

Res mala, Galla! Cave, mihi Delia iugiter inquit,
Et mala res, caveas, Delia! Galla monet.
Et credam ambabus. Nam Delia pessuma: Galla
Peior, nec fingi peius utraque potest.

XXXXVIII.

Temporum angustiae.

Insidias loculis cur non intenditis, ut mos
Est vobis, Fures? sunt etenim vacui.

XXXXIX.

In Horilogii quadrantem.

Praeterit hora fugax. Tu nunc si deeris illi,
Aeternum misero deerit illa tibi.

L.

Lepus fugiens marmori insculptus.

Tu ne oculis, ne crede tuis. Nam currere dices,
Aeternum steterit qui Lepus in Lapide.

LI.

In otium.

Otia corrumpunt mores, corrumpit ut undas
Protracta in longum non bene tuta quies.
Servat aquas motus: mores et servat honestos,
Si modus adfuerit, sic labor assiduus.
Non labor, ast tempus vires frangitque, teritque
Corporis, idem animi qui parit, auget, alit.

LII.

Inepte Voltairius Paulli raptum usque ad tertium Caelum deridet

Ad Caelum raptus, de caelo, Paulle, quid affers?
Quae non ulli hominum dicere, verba, licet.
Tuque adeo causaris iter, vanumque laborem,
Voltairi, unde boni nil tibi contigerit.
Et sapis interdum! haud semper mentiris, inepte.
Non tibi, sed nobis, profuit illud iter.

LIII.

Ad vates qui nomen JESU concebrarunt an. 1831.

Diligam te, Domine.

Vincite carminibus, Vates, qui nomen Jesu
Laudatis, vobis vestra nec invideam.
Si mihi, si primas cedatis Jesum in amando,
Quo cunctos unus vincere discupio.
Nec me spes fallet, si nomen amabile Jesu
Hoc sperare iubet, quod petiisse dedit.

LIV.

Longaevitatis inepta auguria.

Quid mihi commemoras, quid et optas Nestoris annos?
Non, bene qui moritur, vixit et ille diu?

LV.

In detractorem importunum.

Quanti te faciam, si vis ediscere, dicam;
Non facio pluris, quam facio culicem.
Vellicat haec, quod tu facis. At persaepe prehensam
Index, et pollex in nihilum redigunt.

LVI.

Magni Voluminis aestimatio.

Ingens emptorem Codex fortasse manebat:
Advenit hic tandem longe aliud simulans.
Et quanti hic, inquit? Tricenos venditor asses
Intonuit! pretio demere iota, negat.
Grammaticus fortasse aderat, Iurisque peritus,
Deducto et Logicus forte supercilio.
Advocat hos emptor, pretii seu venditor optet
Iudicium, pretii seu magis arbitrium.
Conveniunt. Quartam *primus, mihi detrahe, dixit:*
Et quartam, *alter ait, detrahe iure meo.*
Quod superest, video, tum tertius infit: et ultra
Demendum peterem. Sed locus arbitrio est.
Tertia *nunc mihi sat. Pallescit venditor; emptor*
Erigitur; risu caetera turba favet.
Ecce Olitor: mihi stat Codex. Tuque, accipe sextam:
Chartae quod superest, alter hic Assis *erit.*

LVII.

Opes sapientiae anteferuntur.

Idaliae postquam Veneri data gloria formae,
Altera lis victas inter oborta Deas.
Iuno sibi primas; primas sibi fulva Minerva
Asserit: ambabus iudiciumque datur.
Sed dolet, arbitrio cecidisse unius, ad Idam:
Abs Iove iudicium plenius inde petunt.
Humanum ciet ille genus. Cui quisque Dearum
Optarit magis, huic se addere quemque, iubet.
Iunoni extemplo sese pars maxima iungit:
Desertae propior visa Minerva fuit.
Quaeritur usque adeo ex illa iam aetate Voluptas,
Virtutique *dehinc anteferuntur* Opes.

LVIII.

Caetera de genere hoc, quae vix numerare valebis,
En ubi sunt? Nostri nominis illa pudet.
Et pudeat nostrum, meliori si modo fato,
Nomine contigerit splendidiore frui;
Quando divitias, nomen, bona quaerere cuncta,
Non sibi, sed natis, hoc patris officium est.

MONITVM.

Marmoris Anxianensis tertium denique allatum paradigma, calamo exaratum, delineatumque ad τῦ αὐτογράφυ magnitudinem, de quo monendus lector, illud cum superioribus plane consentire. Id vero ex voto cessit potissimum pro voce BΥΜΑ *versus ultimi. Tantum de voce* ΣΕΝΑΛΩΝ *v.* 14 *commonere, operae pretium fuerit, eam ex novissimo exemplari fuisse videri* ΣΕΝΑΙΛΩΝ, *quod cum dictis de flumine nominis huius loco suo amicissime coniurat.*

ΣΕΛΕΥΘΕΡΙΟΣ
ΟΜΟΝΘΙΔΤΔΣΔΛΩ *σας*
ΡΕΝΤΔΝΩΝΣΥΜΜΔ *χων*
ΗΤΩΔΝΞΔΝΩΗΔΛΛΔ *νω*
ΤΩΤΔΣΒΥΚΙΔΣΡΟΜΥΛΔΔ *σ*
ΝΙΔΣΤΟΞΟΝΗΟΝΙΣΤΔΝΙΩ *νχαι*
ΝΩΚΔΙΦΟΡΔΝΤΩΔΕΙ *ιωτε*
ΙΤΟΚΟΙΝΟΝΤΔΣΚΛΥΙ *ουιας*
ΡΔΝΤΩΝΦΕΝΤΡΙΩΝ *συνο*
ΔΥΔΩΝΓΙΡΥΛΩΝΦΙ *ιων*
ΓΥΤΔΛΙΩΝΤΡΙΝΙΩΝ *χαιτων*
ΝΣΕΝΔΛΩΝΚΔ *ιχωμασχαι*
ΑΝΤΕΣΦΙΛΟΓΙΑΤ *ριδεσεχα*
ΝΗΑΡΑΝΒΥΜΑ *ετελεσαν*



MANTISSA.

Quod deperditum deplorabamus, nobile marmor Anxanense, illud post bono fato sartum tectumque adservari Anxani didicimus apud virum illustrem Michaelem de Georgio, nec in partes duas diffractum, uti perlatum ad nos fuerat, sed integrum, etsi hinc inde imminutum. Idem longitudine aequale palmis duobus, latitudine vero unciis duabus supra palmos item duos. Pauca nunc iis admetienda, quae in rem eamdem sunt loco suo disputata, quaeque desiderari ultra a lectoribus, minime urbanum videri possit.

1. Ζευς Ελευθεριος passim obviat in Graecorum, Syracusanorumque numis, ut de literatis monumentis taceamus, quae videre est in *Corpore Inscriptionum*, caeterisque huius similibus *Collectionibus*.

2. Φρεντανων συμμαχων. Foedus Anxanense unos Frentanos respicere videtur, qui Aterno, Trinioque fluminibus comprehendebantur; quod spatium per milliaria fere sexaginta in longum protendebatur. Inde nulla in marmore *Teates*

commemoratio, quae *Maruccinorum* olim *urbs princeps*. Eademque de causa *Larinum* omissum, quae Frentanorum Larinatium urbs praecipua, Trinio, Forantoque amnibus conclusa.

3. Τοβουλητω. Sic nunc dividere placet: ΤΟ ΒΟΥΛΗ ΤΩ ΑΝΞΑΝΩ, quae libenter reddiderim: *quod Senatus consulto*, (vel *foedere*) *Anxano* cum caeteris, quae sequuntur. Nam τό Βουλῃ in *dandi* magis, *auferendive* casum accipere, animus est, quam *nominandi*.

4. ΑΝΞΑΝΩ. Fuisse olim *Anxanum* Frentanorum, de quibus sermo est, caput nobilissimum, ut caetera monumenta tacerent, vel unum hoc Marmor exerta voce clamaret, Thermopylis aequatum, quo graecorum coibant Civitates publicis, gravissimisque de rebus deliberaturae. *Anxanum* dictum forte ab *Asa*, seu *Ara*. Templum in eo Apollinis celebre in colle praealto, cum *Luco sacro*, cui *Asyli* iura tributa. In duplici asse librali, quorum alterum penes Michaelem de Georgio, alterum penes virum amicissimum Ravizzam est, ex una parte Neptuni simulacrum cum literis dextrorsum incipientibus ΝΩΝΑΞΝΑ, ex alia *Cochlea* cum initialibus. ϘΦ; idest: *Anxanon Phrentano-*

rum. Qui numi bellum italicum longe praevertisse, ex illorum pondere coniici facile potest. Anxanum ad haec Frentanorum, aliud ab *Anxa* Sallentinorum, unde *Anxani Sallentini*, quaeque, nunc *Gallipolis*, a Plinio *Anxa* nuncupata. Ab Anonymo item Ravennate cietur *Anxanum* Appulum, et Plinius de civitate alia cognomine Marsorum memorat.

5 Παλλανω. Arx olim munitissima in monte eiusdem nominis, cuius adhuc rudera supersunt ingentia cum moenibus reticulatis, tredecim ab Anxano milliaribus dissita.

6. Βυκιας. Βυκιαι, seu *Bucae*, Urbes duae cognomines. Prior, eaque nobilior, ab Histonio tribus distans milliaribus. Eius rudera in sinu adhuc maris conspicua se dant, qui nunc *Pennaluce*, de qua uberrime Romanellius. *Buca* alia, quae discriminis ergo et *Buba*, ante etiam *Sicca*, intra sextum fere ab Anxano lapidem, *Fossamcaecam* versus, continebatur. De hac marmor Anxanense intelligendum reor, de quo paullo infra enucleatius. Nec praetereundum, ad Urbis huius viciniam extitisse olim templum Veneris quoddam celebratissimum.

7. Ρομυλκαν. *Romulea* vulgo Hirpinorum op-

pidum habitum, et fortassis urbes duae cognomines, Hirpinorum una, altera Frentanorum, de qua marmor Anxanianense. De posteriori hac nullus videtur dubitandi locus, si Scriptores Frentanos audias, qui de ea exquisitissime scrutati sunt. Novem ab Anxàno milliaribus distabat, quatuordecim a *Francavilla*, seu *Frentana villa*. Romuleae huius perennant hodiedum prisca vestigia, monumenta videlicet literata, *Romaeque* nomen superstes, quo prope hodiernam *Guardiagrele* vulgo condecoratur vicinia, ubi quondam Frentanorum *Romulea*.

8. Τοζονηονιςταντων. Ut *Histonium* in hoc literarum labiryntho, seu naufragio magis, agnoscam, nullis induci rationibus possum. Sit enim 'ιςτανιω pro 'ιςτονιῳ: nullus moror. Ecquid hoc in casu fiet de *τῳ τοζονηον*? quaenam vocis huius potestas? quae deinde *'η συνταξις*? Hasta deinde verticalis literae penultimae iotae formam completam minime refert, sed τ potius, cuius linea transversa evanuit. Nihil ergo recedendum puto ab his, quae hac de re loco suo dicta sunt. Quo probabiliora fiunt, quae de marmoris Bycia n. 6. disputata sunt. Nam Bycia, seu *Buca*, quae nunc *Pennaluce*, ad

Histonium longe propius accedit, quam ad Anxaniensem Civitatem. Et *Buca* fortassis haec iisdem de causis, quibus et Histonium, nondum Anxaniensibus se adiunxerat in tumultu sociali. Paucis: negotium hactenus facessiit vocula, quae τοξον reddita est. At vocis huius character tertius formae est satis ambiguae, quae tamen ad ζ accedit, ut videre in τῳ εκτυπῳ est, quem si pro sigmate accipias, erit τοσον, omniaque sine mora decurrent. Itaque *καὶ ορτονιας τοσον ηονι σταντων* fiet ad literam: *et Ortoniae quantum quantum est litori stantium*, nempe: *et Ortoniae quidquid est litori adiacentium.*

9. Κλουιας. *Cluviae* item duae cognomines, Samnitium una, alia Frentanorum, de qua marmor nostrum, ubi et Colonia consecutis temporibus deducta. Sita autem fuit ad dexteram Viae Traianae, tribus tantum ab Anxano milliaribus. Cluviis repertus ad an. 1747 lapis, quem heic refero:

D. M.
FLAVIA COMICE FECIT
C. CAESIO METRODORO
CONIVGI BENEMERENTI ET
CAESIA METRODORA FILIA ET
L. CAESIVS METRODORVS L. CAESIVS
PROBVS FILII FECERVNT PATRI DVLCISSIMO
ET SIBI ET SVIS LIBERTIS LIBERTABVSQVE
POSTERISQVE EORVM. H. M. D. M. A

10. Φορεντος. *Ferenta*. Facile inde *Frentanilla*, seu *Frentanavilla*, quae nunc *Francavilla*.

11. Γυριλις. Hodie *Girolo*, sic ab amne dictus, qui ad Anxani ortum fluit. Eius vestigia adparent in loco, qui nunc *la Serra*, quinto ab Anxano lapide.

12. Φισιων. Post *Frisio*, et *Frisia*, nunc *Frisa*. Distat ab Anxano semptemtrionem versus milliaria duo.

13. Αυδων. Post *Gaudo*. Portus eiusdem nominis, ubi nunc *Castrum* vulgo *S. Vito*.

Haec nobiscum pleraque communicata humanissime abs erudito viro, Antonio Maranca, ut facile in eo agnoscas genus maternum ab Antistite doctissimo Antinorio ductum.

Inscriptiones graecae nonnullae nuper Capreis repertae.

1.

... I ΣΕΒΑΣΤΩΙ
... ΛΟΥΙΟΣΑΠΕ
... ΝΩΜΗΣΑΝΤΕ

In tabula marmorea fracta superne, quam cum his, quae sequuntur, communicavit nobiscum humaniter vir Cl., nostrique amantissimus, Tarentinus Antistes, Capicylatrius.

2.

ΘCΑΝΩ ΟΗΝΙΚΟΥ
ΧΑΙΡC

Notanda ad voces Θεανω forma C pro E, nisi forte aut exscriptoris incuria, omissa, aut temporis iniuria, deleta linea trasversalis. Tabula item marmorea, et sepulcralis, uti videtur.

3.

ΑΘΑΝΟΔΟΡΟΣ ΑΓΗΣΑΝΔΡΟΥ
ΡΟΔΙΟΣ ΕΠΟΙΗΣΕ

In marmore *Africano*, ut dicitur, quod basis loco extitisse creditur statuae cuiusdam. Et non defuturos auguramur, qui de *Athanodoro* hoc artifice, *Agesandri* Filio, *Rhodio*, diligentius inquirent. Doricismus manifestus in voce Αθανοδορος pro Αθηνοδωρος.

Adde haec nostris, quae sequuntur.

Epidii Flacci quinquiplicato Duumviratu.

PHRONIMVS. MESSI. FAVS†
PLACIDVS. VEI. FRONTONIS
A. ARELLIVS. GRAECVS
MIN. AVG. EX. D. D. IVSSV
⁘ ⁘ ⁘ M. VESONI. MARCELLI
II. VIR. I. D.
M. LVCRETI. EPIDI. FLACCI
PRAEFECTI
L. ALBVCI. D.LVCRETI II.VIR. V. A. S. P. P
*V.C.*787.PAVLLO.FABIO.L.VITELLIO*A.V.*34.
COS

M. Lucretius Epidius Flaccus, unus idemque vir nominibus quatuor designatus, quae κακοηθεια (1) nomina sibi coacervandi, increbrescens a seculo primo aer. vulg. ad finem vergente, mirum in quot ambages viros doctos saepiuscule coniecerit. Duumviri prioris I. D. nomina de industria a marmore abrasa, facile Tiberiano aliquo fulmine attacti. Anne hic Seiani amicitia Tiberio suspectus? verum ecquis non homini huic suspectus? Loco igitur Duumviri huius deturbati, prodit *Caesaris Praefectus*, *M. Lucretius*. Caesaremque intelligito C. Caligulam,

(1) *Vid.* F. A. *pag.* 163, *et not.* 89 *pag.* 178.

cui Duoviratus a Pompeianis contigit triennio ante, quam Consulatum suffectum iniit cum Ti. Claudio ad an. 790. Idem *Lucretius* recurrit *Praefectus Caesaris*, cum eadem biga consulari, in fragmento, quod sequitur. Quamobrem alterum ex altero fidenter restituo, deque *sacris indictivis*, minime *annuis*, rem fuisse autumo.

Phronimus. Messi. Fausti
Placidus. Vei. Frontonis
M. Arellius. Graecus
Min. Aug. ex D. D. iussu
M. Vesoni. Marcelli. D. V. J. D.
M. LVCRETi. *Epidi Flacci Praef.*
C. CAESARIS
L. ALBVCI. CELSI. D. LVCRETI VALENTIS
IIVIR. V. A. S. P. P
*V.C.*787.PAVLLO.L.VITELLIO.COS *A.V.*34.

Vice Duumviri alterius, continuata Pompeis Praefectura ad an. usque 791, ut colligi datur ex titulo mox producendo. Recte igitur insinuatum supra, Pompeiorum Fastos Duumvirales ab an. 787 usque ad 791 continuatos partim sub uno IIviro I. D., vices alterius subeunte *Praefecto C. Caesaris*, partim sub duplici *Praefecto.*

... ADEPTVS
*Numi*SIVS. FELICIO
V. C. 791 ⁚⁚ ⁚⁚ M. EPIDIO FLACCO *A. V.* 38.
QVINQ. M. HOLCONIO. MACRO
PRAIF. I. D. L. LICINIO. C. ADIO
V̄IR. V. A. S. P. PROC

Ecce tibi M. Epidium Flaccum quintum iam Pompeis qua Duumvirum, qua Praefectum I. D. Comes ei in Praefectura huius anni M. Holconius Macer. Ante Epidii nomen abrasionis vestigia. Nullus igitur Pompeis hoc anno Duumvir: ambo Praefecti I. D.

L. *Licinius* C. *Adius*, unus item vir, duplicatis *nomine*, et *praenomine*, ideoque dictus non Īl*vir* sed VIR; ne occasio fieret cogitandi de duplici homine, quod nobis initio contigit. Ex hoc item monumento primo didicimus, postremam singulariam P siglarum nostrarum de genere habendam *procuratorio*. Ad pag. 80. *A. Suettius verus Aedilis*, non *IIvir*, sed *Vir* ἁπλῶς dictus. Dele igitur, quod ibi aliter coniectando dictum.

porum huismodi ambitum siglas nostras contineri, marmora universa, parictinaeque inscriptiones omnes clamant. Qua nos ratione permoti praecipue *Augustum* sub initiali illa latitare coniecimus.

3. Quid τὸ *sollemnibus* cum quinta initiali S? est enimvero et *insanire sollemnia!* Nam et *ludi sollemnes*, et *sollemnes epulae*, et *nuptiae sollemnes*, et *sollemnia funera*: et *sollemnia* numquam incurras, nisi ante explorata, aut insinuata re, cuius sunt *sollemnia*. Sic Tacitus (1): *cuncta nuptiarum sollemnia celebrata*. Sic Virgilius: (2):

Et statuent tumulum, et tumulo sollemnia mittent.

Praemitti ergo oportuerat initialem L, si ad ludos referenda *sollemnia* fuissent.

4. Prostat Pompeis titulus eiusmodi:

M. OCVLATIVS. M. F. VERVS. II VIR. PRO. LVDIS

quem false olim interpretati sumus *Duumvirum a Ludis*. Latebat quippe nos, titulum in Theatri *pavimento* insculptum. *Oculatium* itaque nunc

(1) Lib. XI.
(2) Aeneid. VI.

agnoscimus Duumvirum Pompeianum, qui *pro ludis*, *theatri pavimentum dedit*; nec in his sero poenituerit unquam, quemcunque dicti factive poenitebit aliquando.

5. Paucis nunc, quae ad IIviros hosce Pompeianorum sacrorum procuratores pertinuisse olim videntur, complectamur. 1. Hi duo, non amplius, ut numero olim Romae vetustissimi *XV. viri. Sacr. Faciund.* 2. *Sacerdotes* sine cunctatione, *annui* tamen, minime *perpetui*. 3. *Ministris* idcirco dignitate longe anteibant, ac conditione *ingenui* semper, numquam *Liberti*, *Servi* multo minus.

6. Ubinam praeterea, vel ecquando, in titulorum formulis recensita Magistratuum, sive Officiorum munia, quae subaudiebantur videlicet, uno audito Magistratus, seu Officii nomine? Indigitabantur haec enimvero aliquando, sed ecquando? quando nimirum eorum nomina communem, ancipitemque prae se ferebant potestatem, minime certam, determinatamque, qualia sine dubio *Quaestorum*, *Quinquennalium*, *Duumvir.* sive *IIIIvir.* nomina, caeteraque horum similia, quibus si nihil addas, de quibus loquêris, aeternum latebit. Sed nihil tale ti-

mendum in Aedilibus ciendis est, qui et *Viri* dicti *Aedilic. Pot.*; ut et ad vocem *Consul*, *Dictator*, *Praetor*, aliasque huiusmodi, quarum certa, perpetua, eademque apud omnes potestas. Paucis: titulum unum afferat vir doctus, in quo Aediles sic notati, ut ipse contendit, D. V. V. A. S. P. *Proc.*, victasque ei manus dabimus. Ciceronis tamen locum III. *de Leg.* 3. caveat in medium proferre iterum, qui pro re nostra plane ἄτοπος est. Tullius enim legis latorem agit, cuius est, munia cuique sua enucleate praecipere, quibus semel assignatis, nihil est, quod Magistratus, officiive nomini ultra addas glossematis in modum, ut ille facit. Minutiora si quis optet, quae in serrae huius reciprocatione acta, dictaque sunt, is adeat Opusculum nostrum vernacula dialecto exaratum hoc an. eodem 1832; cui titulus: *Risposta all' Opuscolo col titolo di Osservazioni sopra un Libro intitolato*: IN *sacra nonnull. Pompeior.*

SCHOLIA.

1. Quod pag. 7 refertur, fragmentum, sic omnino legendum:

... AESA...
... VG ⁙ V. ⁙ ⁙
.. MINIS. A...
.... IVAR..... (*forte*) *Ianuari.*

Nota numeralis V. secundae lin. cum puncto dextrorsum addita deinceps, abrasis, quae ante fuerant insculptae, literis. Fragmentum idcirco referendum ad Consulatum quintum Tiberii, nempe V. C. an. 784. Aer. vulg. 31. Movendum igitur de loco fragmentum, transferendumque ad pag. 62 sub n. 18; qui deinde fiet 19 pro titulo PHILIPPVS. MELISSAEI.

2. Ad pag. 8 idcirco pro numero 2 erit 3, titulusque sic restituendus:

P. STALLIVS. ACATHO
MINISTER. D. D
IMP. CAESARE. IX
M. SILANO. COS
.. VATVM. P. ALFENO
P. VINICIO COS
IVSSV
M. POMPONI. MARCELLI
L. VALERI. FLACCI. D. V. I. D
L. OBELLI. LVCRETI*ani*
. . . .

Ad vocem *Agatho T*, et *H* cubant in nexu, cuius nunc forma non suppetit.

3. Titulus sub num. 15 pag. 57. cum gemello pag. 59 sub num. 16 trasferendus ad pag. 14 cum notis numericis 3, et 4, referendusque uterque ad an. V. C. 740. ante Aer. vulg. 14. quo tempore Consules ordinarii processere M. Crassus, et Cn. Lentulus. Post v. 9 adde: M. NINNI. M. F. POLLION; quod omissum, culpa non equidem nostra inter festinandum, ut alia bene multa, quae parum urbane nobis Avellinius, more suo, imputat. Eadem causa factum, ut restitutiones quaedam nostrae in autographi speciem irrepserint, omissis lineolis, quibus signatae per nos fuerant. Notandum praeterea, marmoribus, postquam descripta per nos fuere, novas adhuc supervenisse iacturas, illorum imprudentia, quorum in manibus versabantur, ut vitio nobis dari non debeat, si quid nunc Avellinio novi in τοῖς αὐτογράφοις videre contigerit. Caetera pro marmoris huius vindiciis, calumniisque depellendis, quibus nos appetit idem Auctor, vide in responsione nostra italice conscripta, supra commemorata.

4. Ad pag. 15. lin. 2. loco τοῦ M. POPIDIVS. lege: N. POPIDIVS; et ad lin. 7. corrige: A. CLODI. FLACCI. IIII.

**

5. Fragmentum per nos relatum pag. 13 ita legit Avellinius :

.. ..
.. ..
... SV
... LI. CELERIS
)
..... ACCI
SEX...... EIO. COS.

Ad ultimam lin. vox SEX.... cum litera E vocis sequentis in fragmento pessime habito effugerat aciem nostram, indeque coniecturae nostrae quaedam parum firmae pro marmoris aetate statuenda. Consules nunc Sex. Appuleium, et Sex. Pompeium libenter amplectimur, et fragmentum reiicimus ad an. V. C. 797. Aer. vulg. 14. Si igitur novam editionem adornari contigerit Com. nostri, locus huic erit ad pag. 43. in fine §. III. sub num. 5., hiatusque insequens Fastorum Pompeian. intra novennium contrahetur. Veritati quippe,

Deo ignoto
Viris seculi huius,
Vnde unde adfulgeat,
V. L. M.

Pag. 59. et 60. actum de initialibus M. S. et T. S., deque earum potestate, quae Collegae nostri palato minime sapiunt. Rem compendio resumamus. Fragmentum extat pompeianum huiusmodi;

: : :

....IO. SITTI. M. S
......S. SORN. T. S
.....A. VOLVSI. T. S

Characteres superstites sinistrorsum reliquiae sine cunctatione sunt nominum servilium. Finge, primi nomen fuisse *Primio*, ne singulos persequar: prior itaque linea sic legenda: *Primio Sittii* M. S. Si observatorem nostrum audis, erit: *Primio Sittii Marci Servus*. Praenomen quippe *Marci* referendum sine dubio ad τὸ *Sittii*, adeoque *nomen* praepositum *praenomini*. Historicos, Oratoresve nil moror, quibus haec perinde se habent. At quonam in titulo generis huius uspiam *nomen* praemissum *praenomini? Titulum* dico, ut de inscriptionum stilo agi unice quisque intelligat: nimis enim noster forensis est, quocum nihil umquam satis cautum, non *verbo* tantum, sed ne *literula* quidem. Nam ecce tibi, ut obiter moneam, quod *hibrida* diximus, ille *hybrida*

corrigendum praecipit, quasi lectio altera sine appellationis iure damnata. Nunc, quod instat.

Interpretationi suae ad pag. 99. nova quaerit exemplorum subsidia, quae ipsi *clarissima* videntur. Sed pace viri tanti, ne sic quidem *sacra rite facta*. Age, videamus paullisper.

Exemplum regerit *Fausti Versenni* P. S., solitariamque P. pro *Publio* habet. At Oliverio, ut ipsemet fatetur, haec eadem est *Procurator*, et Hagenbuchio *Peculiaris*. Verum haud facile in talibus *adiectivum* praepositum *nomini*. Dictum potius oportebat: *servus procurator*, etsi non memini, *Procuratorem*, aut *Dispensatorem* occurrere cum praemissa *Servi* nota. Sed ex adverso in medium se dat *Verna peculiaris* (1), itemque *Servus Verna* ad insinuandum *originem* cum *conditione*. Sic *Abascantus* (2) *Caes. N. Ser. Vern.* dictus, qui et *Disp. annon.* Quippe Abascanti iam proditis *origine*, et *conditione*, latuisset *officium*, nisi additum, *Disp. annonae*. Vide, interim nemini hactenus in mentem venisse de *Publii* praenomine praepostero. Ne-

---

(1) Fabret. pag. 295. n. 246.

(2) Ibid. n. 249.

gotium igitur nondum in claro positum, fortasse in tenebris adhuc perambulans. Cur non de Versenniis duobus cogitandum, quorum alter *Filius*, *Pater* alius, de quo titulus loquitur? Cur non solitaria eadem initialis habenda taciti *cognominis*, cuius rei non unum extat exemplum? Non hoc contentus noster, addit et hoc aliud:

Sodalis. C. Modi. Cimbri. Ser
Aeschinus. Octavi. M. Ser

contenditque, singulariam M. versus secundi esse item *Marci* praenomen, ad *Octavium* utique referendum. Verum edisserat noster, eccur in linea priore in C. Modio Cimbro servatus ordo nominum tanta cum religione occurrit, qui mox in versu altero perturbatus, in quo *praenomen* foret *nomini* postpositum? Ecquid vetat, de duplici Octavio cogitare, quorum *minor* unus, *natu maior* alter? Cur non in litera eadem aut initialem intelligimus *cognominis* Octavii, vel potius *Magistri* dignitatem? Posterius hoc fortasse auspicatius. Insinuata namqne *Magisterii* dignitate, nil ultra ambigendum, de quonam *Octavio* ageretur.

Caeterum nisi vehementer fallimur, quaestionis huius iugulum petunt marmorum omnium pom-

peianorum exempla, quae videre huc usque contigit, in quibus *Servi* nusquam incurrunt, nisi Heri unius nomine discreti, eoque in gignendi casum. Cur in hoc titulo unico *Primionis*, aut alterius cuiusvis, denuntiata iam conditione servili vocis *Sitti* beneficio, additae initiales M.S.? Nisi id temere factum velis, servi huius ministerium aliquod agnoscere cogeris.

Unum pro re nostra heic lectorem monitum volo, ne imprudentia fortasse nostra fraudi illi sit. De *Sittio*, *Sornio*, et *Volusio* ita alibi sermonem fecimus, quasi ipsi extiterint sive *Monaulae*, sive *Tibicines sacrorum*. Non hi hoc functi ministerio, sed illorum *Servi*, quorum nomina invidit marmoris fractura.

7. Ad pag. 80. A. SVELLIVM corrige: A. SVETTIVM; et dele, quae vano labore congesta ad lin. 9 usque pag. 81. *A* quippe *Suettius*, qui *Aedilis*, una fuit *Vir. A.* S. P. P. P; ut in aliis quoque adnotatum, de quorum genere hoc:

AED. V. A. S. P.P. V. B. D. R. P. O. V. F. SEMA
CVM. PVERIS

Addde et:

A. VETTIVM. FIRMVM
AED. V. A. S. P. P. OVF FVSCVS

Verum hic idem *A. Vettius Firmus* tantum *Aedilis* salutatur in his :

A. VETTIVM. FIRMVM. AED. O. V. F.
FVSCVS. CVM. VACCVLA. FACIT

Et..

A. VETTIVM. FIRMVM
AED. V. B. O. V. F. FELIX. CVPIT.

Si *Aedilis* idem , qui V. V. A. S. P. P ; cur initiales hae omissae in duplici hoc titulo? cur ex adverso additae in duobus prioribus ad vocem AED.? nimirum, nisi in meridiana luce caecutire velimus , ut intelligi daretur , *Aedilitatem* longe aliud extitisse a Duumviratu *V. A. S. P. Proc.* Vettiumque , cum IIviratum eiusmodi nondum Pompeis attigisset , tantum *Aedilicio* nomine salutatum : cum vero et IIviratu sacro potitus fuit , tum voci AED. adiectas , ut par erat , initiales V. A. S. P. P. Sed pudet in his serio , et diutius immorari , de quibus iam viri docti iudicarunt. En erit olim , ut Collegam nostrum religio incessat , ea in nos per controversiae huius occasionem, qua conviciando,

qua calumniando effutisse, quae ecquis non effutiat vel ignavissimus licet? Et tamen vel sic illi gratiae habendae, etsi sine gratia, quod iniuria lacessitis non pauca in melius recudere est datum, de quibus facile ne cogitatum quidem.